FR. ANDREÆ SGAMBATI
ORDINIS MINORUM
S.FRANCISCI CONVENTUALIUM
OPUS
DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.
TOMUS DECIMUS
COMPLECTENS
LIBROS DE CULTU CHRISTI ET SANCTORUM, DE NOVISSIMIS, ET DE PURGATORIO.

NEAPOLI
ANNO MDCCLXXXI.
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM PACI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO

D. MATTHÆO

JANUARIO TESTA PICCOLOMINÆO

ARCHIEPISCOPO CARTHAGINIENSI, ET AFRICÆ PRIMATI, ABBATI REGIARUM ECCLESIARUM S. NICOLAI DE PERGOLETO, ET S. NICOLAI DE BUCCISANO, PRÆFECTO REGIÆ UNIVERSITATIS STUDIORUM NEAPOLITANÆ CIVITATIS, SERENISSIMI REGIS UTRIUSQUE SICILIÆ THEOLOGO, CONSILIARIO, ET MAJORI CAPELLANO &c. &c.

F. ANDREAS SGAMBATI

Opus hocce ſuum

D. D. D.

UT Theologicum hocce volumen Tuo, PRÆSUL AMPLISSIME, nomine decorandum, ac patrocinio defendendum, votis omnibus exoptarem, multiplex ratio vehemen-

Digitized by Google

ter adegit; vetuſta nempe Tui ſanguinis claritudo, Pontificiæ dignitatis infulæ, bonarum artium cultus, &, qui titulos omnes excedit, mirabilis cunctarum virtutum, quæ Principem Virum inſtruunt exornantque, concentus. Ut enim cetera prætermittam, ſummæ profecto virtutis indicium eſt, præclaram vitæ modeſtiam inter proſpera omnia retinere, maximis apud Potentiſſimum REGEM Noſtrum officiis non extolli, amicis, etiam humilibus, in excelſo faſtigio præſidium non negare. Hinc Seraphicum Minorum S. FRANCISCI Conventualium Ordinem pio paternoque affectu complecteris, maximiſque be-

ne-

neficiis cumulare ſemper incumbis. Hinc & me inter Fratres alios minimum affabilis audire, docere, tueri minime dedignaris. Quapropter ob id etiam Tibi libellus iſte jure merito dedicatur, ut ingrati animi crimen evitem. Tu itaque, OPTIME PRÆSUL, officium iſtud conſueta quæſo humanitate recipias, qua omnium animos mirabili modo in Tui obſequium, & amorem inducis. Interim ego DEUM exoro, ut diu Te ſervet incolumem, efficiatque, ut in multos annos vitæ exemplo, doctrinæ ubertate, ſapientiæ luce, optimarum legum latione, omnique virtutum genere injunctum Tibi munus utiliter, ac feliciter exequaris. Vale.

IN-

INDEX

LIBER XX.

Agit de cultu, qui Chriſto, & Sanctis, eorumque imaginibus, ac reliquiis exhibetur. pag. 1

CAPUT I.

Humana Chriſti natura latriæ adoratione colenda eſt. 2

CAPUT II.

Quod Virgo Deipara, Sanctique omnes cum Chriſto regnantes religioſo venerandi ſint cultu. 11

CAPUT III.

Ubi de Sanctorum invocatione diſſeritur. 19

CAPUT IV.

Agit de cultu, qui Chriſti Cruci, ejuſdemque imagini, ac ſigno debetur. 35

CAPUT V.

Quod Sanctorum corpora, & reliquias non immerito veneremur. 45

CAPUT VI.

De uſu, cultuque ſacrarum imaginum. 53

LIBER XXI.

Ubi de hominum noviſſimis breviter diſputatur. 73

CAPUT I.

Quod Antichriſtus, homo ille peccati, ſit in ſæculorum fine venturus. 74

CAPUT II.

Quod omnes homines morituri ſint, ii etiam, quos ultimus judicii dies vivos inveniet. 84

CA-

CAPUT III.
Ubi generalis corporum reſurrectio futura defenditur. 91
CAPUT IV.
Ubi nonnulla quæ ad reſurrectionem ſpectant, dubia breviter explicantur. 104
CAPUT V.
In quo de univerſali judicio diſputatur. 118
CAPUT VI.
Quod Electorum æterna ſint gaudia, & reproborum etiam æterna ſupplicia. 133
CAPUT VII.
In quo de Beatis, damnatiſque nonnulla quæruntur. 144
CAPUT VIII.
Ubi de Inferno diſſeritur. 163
CAPUT IX.
Num infantuli ſine Baptiſmate morientes pœna aliqua in inferno plectantur? 175

LIBER XXII.
Ubi quæ ad Purgatorium pertinent, breviter explanantur. 193
CAPUT I.
In quo Purgatorii exiſtentia paulo fuſius demonſtratur. 194
CAPUT II.
Diluit argumenta, quæ contra Purgatorii exiſtentiam opponuntur. 207
CAPUT III.
Qualis, ac quanta ſit Purgatorii pœna, & quamdiu duret. 220
CAPUT IV.
Quod purgantes Animæ de propria ſalute ſint certæ. 229

CA-

CAPUT V.
Num Animæ in Purgatorio viventium ſuffragiis adjuventur? 239
CAPUT VI.
Quod purgantes Animæ indulgentiis adjuventur. 252
CAPUT VII.
Num ſepultura, cultuſque exequiarum defunctis proſint? 261
CAPUT VIII.
Num Beati pro Animabus Purgatorii orent, & num iſtæ orent pro viventibus, eiſdemque interdum appareant? 271

FINIS.

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XX.

Agit de cultu, qui Chriſto, & Sanctis, eorumque Imaginibus, ac Reliquiis exhibetur.

SOlent Theologi dum de Incarnationis myſterio diſputant, de cultu etiam agere, quem humanæ Chriſti naturæ tenemur impendere. Nos itaque eandem hic methodum proſequemur, dataque occaſione de eo etiam cultu tractabimus, quem Virgo Deipara, Cœliteſque alii, necnon ipſorum Imagines, ac Reliquiæ promerentur.

CAPUT I.

Humana Chriſti natura latriæ adoratione colenda eſt.

CUm recte Doctor Angel. in 2. 2. q. 103. a. 1. notaverit, quod honor, cultus, & adoratio ſit teſtificatio quædam de alterius excellentia; aperte conſequitur, quod tres actus honor includat; actum ſcilicet intellectus, quo quis alterius excellentiam apprehendit; actum inſuper voluntatis, quo ad excellentiam apprehenſam interius inclinamur, volumuſque aliquid exhibere ſive interiori ſive exteriori actu, per quod ejuſcemodi excellentiam, noſtramque ſubjectionem, & obſequium proteſtemur. Importat denique honor exteriorem actum, quo in teſtificationem excellentiæ caput inclinamus, vel genua flectimus, vel alia venerationis, ac ſubjectionis ſigna exterius exhibemus. Inter autem actus iſtos primus poteſt ſine veneratione ſubſiſtere; cum poſſit quis alterius excellentiam noſſe, quin erga illam ullo voluntatis actu feratur. Tertius etiam cum irriſione eſſe poteſt, ſicuti milites dum ante Jeſum genuflectebant, eidem intendebant illudere. Solus ergo ſecundus actus ad adorationem præcipue pertinet, ejuſque eſſentiam ſpeciali ratione conſtituit.

Triplex præterea excellentia eſt; divina videlicet, & infinita, cui reſpondet prima ſpecies cultus, quem Theologi *latriam* appellant. Alte-

tera eſt excellentia naturalis, ſive humana, conſiſtens in naturalibus humaniſque virtutibus, ſive ſpeculativis, ſive moralibus, in dignitatibus, gradibus &c. Et huic quidem ſecunda ſpecies cultus, & obſervantiæ correſpondet, qualis eſt politica, & civilis: quæ tamen in alias iterum ſpecies recte dividitur; alius enim honor patri, alius principi, alius præceptori, alius viro probo, alius ſapienti debetur. Tertia eſt excellentia quædam media, inferior quidem divina, ſed humana & naturali ſuperior, cujuſmodi eſt gratia, & gloria Sanctorum cum Deo regnantium: hæc enim dona cum ſupernaturalia ſint, hominem proxime, quoad fieri poteſt, Deo conjungunt, & ſupra humanam vulgaremque excellentiam elevant, cum participationem aliquam divinæ excellentiæ largiantur. Huic itaque excellentiæ correſpondet tertia cultus ſpecies, quam Theologi dixere *duliam*. Denique cum Beatiſſima Virgo, quia Dei Genitrix eſt, ita alios Sanctos excellat, ut ſuper Choros Angelorum exaltata dicatur; idcirco Theologi tertiam hanc cultus ſpeciem diviſerunt in ſimplicem *duliam*, & in *hyperduliam*; eſt enim hyperdulia ſupra cultum, qui debetur Sanctis aliis, infra tamen cultum illum eſt, qui Deo debetur.

Ad rem autem propius accedentes advertimus, nulli ex Catholicis dubium eſſe, quod Chriſtus, ut Deus, ſupremo latriæ cultu ſit adorandus. Solum igitur de humana ejus natura nunc quæritur, an eodem proſequenda ſit cultu, & an ipſi per mentem abſtractæ ab hypoſtatica cum Verbo unione poſſit inferior alius hyperduliæ cultus impendi.

Propoſitio. Chriſti humanitas hypoſtatice

Verbo conjuncta, unica eademque latriæ adoratione colenda eſt.

Probatur. In epiſt. ad Hebr. c. 1. v. 6. ſcribit Apoſtolus: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Tum ad Philip. 2. vv. 9. & 10. *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Denique Apoc. 5. v. 13. legitur: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Quæ quidem teſtimonia latriæ adorationem Chriſto tribuunt, quin ullum inter divinam ejus humanamque naturam diſcrimen apponant.

Idem quoque Patres aperte, ac perpetuo docuerunt. Hos inter Athanaſius in epiſt. ad Adelphium ait: *Etſi enim ipſa caro ſeorſum ſpectata pars ſit rerum creatarum, attamen Dei facta eſt corpus. Neque vero hujuſmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipſum a carne removemus; ſed, ut ſuperius diximus, hæc,* Verbum caro factum eſt, *non ignorantes, idem Verbum in carne exiſtens, Deum agnoſcimus. Quis ergo adeo demens ſit, ut Domino dicat, Recede a corpore, ut te adorem?*

Epiphanius in Ancorato §. 51. ſcribit: *Nemo unigenito dixerit, Depone corpus, ut adorem te: quin potius ipſum adorat cum corpore Unigenitum, increatum cum templo ſancto, quod veniens aſſumpſit.*

Damaſcenus in lib. 3. fidei c. 8. *Unus eſt Chriſtus, Deus perfectus, & homo perfectus, cui unam, eandemque adorationem cum Patre, &*

Spiritu, non excluſa immaculata ejus carne, adhibemus. Neque enim adorandam eſſe carnem ejus negamus: quippe quæ adoratur in una Verbi perſona, quæ quidem ipſi perſona, & hypoſtaſis facta eſt.

Et ne Latinos præteriiſſe videamur, Ambroſius in lib. 3. de Spiritu Sancto c. 11. hæc verba Pſalmi 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus; quia ſanctum eſt*, ſic exponit: *Per ſcabellum terra intelligitur: per terram autem caro Chriſti, quam hodieque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu, ut ſupra diximus, adorarunt. Neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus; neque cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.*

Tandem Auguſtinus enarrat. in citatum Pſalmum 98. eandem profert interpretationem, ac inter alia ſcribit: *Suſcepit*, Chriſtus, *de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.*

Evidenti inſuper ratione theſis iſta firmatur. Ut enim Seraph. Doctor ait in 3. d. 9. a. 1. q. 1. *Honor non reſpicit hanc partem vel illam, ſed reſpicit ipſam perſonam. Unde quamvis purpura, & veſtimentum non participet proprietates Regis abſolute, communicat tamen in honore, & reverentia.* Ergo *quia eſt una perſona in Chriſto, cui debetur reverentia ſumma, una adoratione adoranda eſt, ſcilicet latriæ, quantum ad utram-*

que naturam, ſcilicet deitatem, & humanitatem, ſicut eadem adoratione adoratur in uno homine caput, & pes. Similia leges apud S. Thomam in p. 3. q. 25. a. 1. & 2.

Qui igitur in Chriſto adorationes dividere vellet, divideret etiam in ipſo perſonas, atque ita Neſtorianæ hæreſi conſentiret. Unde Alexandrina Synodus ſub Cyrillo in VIII. Capitulo ſic contra Neſtorium definivit: *Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, & conglorificari tanquam alterum cum altero . . . & non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum eſt, anathema ſit*. Idem quoque decretum eſt in Concilio Chalcedonenſi actione 5., & in Concilio CP. II. can. 9.

Ergo pluſquam ſatis apparet, perperam Scholaſticos quoſdam cum Cajetano putaſſe, quod poſſit Chriſti humanitas ut abſtracta concipi ab unione cum Verbo, & coli adoratione hyperduliæ, ob peculiarem excellentiam, quam habet illa ex gratia habituali, aliiſque ſupernaturalibus donis a Verbi perſona diſtinctis. Paſſim enim Patres non duplici, ſed unica tantum adoratione latriæ, Chriſti humanitatem colendam eſſe præſcribunt ex eo, quod una ſit in illo perſona. *Et quoniam*, inquit in ſupra citato loco S. Bonaventura, *caro Chriſti nunquam eſt ſeparata a Verbo, ideo ſemper conſideranda eſt ut conjuncta, & ſemper adoranda eſt latria*.

Objicies 1. Humana Chriſti natura, ejuſque partes, etſi Dei Verbo ſint junctæ, non tamen creaturæ conditionem excedunt: impium ergo videtur, quod honorentur eodem latriæ cultu, qui

qui ſoli Deo debetur. Ut enim legitur Lucæ 4. v. 8. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Reſp. quod cum humana Chriſti natura in divina perſona ſubſiſtat, & honor in perſonam proprie terminetur; dum Chriſti adoratur humanitas, adoratio principaliter ac directe non in creaturam tendit, ſed in Creatorem, cujus humanitas illa eſt. Unde quemadmodum unus honor Regi debetur, quamcumque ille veſtem induerit; ita una eademque adoratio debetur Deo, quamcumque iſte naturam aſſumpſerit; quia in ea ſemper Creatorem adoramus, eidemque ſervimus. *Hac in re*, ſubdit in loco ſuperius laudato Damaſcenus, *non creaturæ ſervimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, ſed velut Divinitati unitam, & quia duæ ipſius naturæ ad unam Dei Verbi perſonam reducuntur, unamque ſubſiſtentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Chriſti naturas ob unitam carni Divinitatem adoro.*

In hujuſcemodi itaque rebus aliud eſt honoris cauſa, & motivum; aliud vero honoris materia, & objectum: ſicut etiam in hominibus apparet, quorum alter altero magis minuſve non propter humanam naturam, ſed propter poteſtatem, vel probitatem, vel ſcientiam honoratur. Unde idem Damaſcenus in lib. 4. c. 3. ſcribit: *Caro ſuapte quidem natura nequaquam eſt adoranda; ſed cum in Verbo incarnato adoratur, non quidem propter ſeipſam, ſed propter Deum Verbum, quod ſecundum hypoſtaſim ipſi copulatum eſt.*

Si quis igitur inſtare vellet ajendo: Poſtulat rectus ordo, ut majori major, minori vero mi-

nor reverentia exhibeatur: atqui Chriſtus, ut homo, minor eſt Patre; ejuſque humanitas Divinitate eſt minor, etſi eidem concipiatur unita: ergo dicendum, quod cultus latria minor exhibendus eſt Chriſto, prout in humanitate ſua ille concipitur.

R. Reponeremus cum S. Bonaventura citata in quæſt., verum id eſſe, „ quando minor, & „ major ſic ſe habent, quod ſunt diverſorum „ bonorum ſuſceptibiles; hoc autem eſt, quan„ do ſunt diverſæ perſonæ, gradu dignita„ tis diſtantes: hoc autem in propoſito non „ eſt reperire, quia cum una in Chriſto ſit „ perſonalitas, & illa attendatur ſecundum „ naturam ſupremam, unica & ſumma debetur „ ei reverentia, qualiſcumque ſit natura; ſicut „ honor unus debetur Regi, in quocumque ſit „ indumento. Honor enim naturam reſpicit „ digniorem, & per conſequens illud, quod „ eſt annexum ei: ſic caro viri ſancti honora„ ri debet ſecundum dignitatem animæ, non „ ſecundum ignobilitatem propriæ naturæ.

Objicies 2. Chriſtus, ut homo, Trinitatem adorat: ergo ipſe, ut homo, non eſt adorandus adoratione latriæ; non enim latria illi debetur, qui alteri ſervit, dum eum adorat. Antecedens vero patet: nam adorat ille, qui orat: atqui uti paſſim in Evangelio legitur, Chriſtus oravit: ergo.

Reſp. cum Seraph. Doctore ibidem, „ quod „ ſecundum quod oratio eſt aſcenſus mentis in „ Deum, ſic proprie non pertinet ad Chriſtum, „ pro eo quod omnia quæcumque voluit, fecit; „ & Verbum ſemper præſens habet per omnia „ faciens, quæcumque vult anima ejus; exem-

„ plum

„ plum tamen orandi, & adorandi dedit ſecun-
„ dum inferiorem naturam in ſua oratione; &
„ ideo non ſequitur, quod non debeat adorari.
„ Sicut enim ipſe baptizat interius, & tamen
„ baptizatus fuit, ut alios informaret; ſic ora-
„ vit, & adoravit, ut alios erudiret. Quia,
„ ſicut vult Damaſcenus in lib. 3. de fide c. 21.
„ in Chriſto humana natura non tenet naturam
„ ancillæ; ait enim ſic: Serva eſt caro, ſi non
„ eſt unita Dei Verbo, ſemel tamen unita ſe-
„ cundum hypoſtaſim, qualiter erit ancilla? U-
„ num enim ens Chriſtus non poteſt eſſe ſer-
„ vus ſui ipſius, & dominus; cujus ergo erit
„ ſervus? Patris non; quia quæcumque habet
„ Pater, ſunt Filii; & ita qui dicunt ipſum
„ ſervum eſſe, diſtare faciunt unum Chriſtum
„ in duo per modum Neſtorii: & ita ad Chri-
„ ſtum non pertinet adorare, ſed adorari; quia
„ magis competit ei ratio dominii, quam ſer-
„ vitutis.

„ Aliter etiam poſſet dici, quod quamvis
„ eſſet ipſius adorare, non tamen ſequitur, quod
„ non deberet adhuc adorari adoratione latriæ;
„ quia nos qui debemus adorare, non debemus
„ aſpicere ad ejus humanitatem, ſed ad perſo-
„ næ dignitatem." De oratione Chriſti legen-
da ſunt etiam, quæ idem S. Doctor habet in
3. d. 17. a. 2. q. 1.

Objicies 3. S. Auguſtinus in lib. 10. de C. D. c. 20. de Chriſto ait: *Cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & unus Deus eſt; tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe, quam ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ.* Ergo Chriſti humanitati ſacrificium of-

ferri non poteſt; ergo neque eidem poteſt latriæ cultus offerri.

Reſp. cum S. Bonaventura, „ quod objicitur, quod carni Chriſti non eſt ſacrificandum; „ dicendum, quod verum eſt per ſe, non autem eſt verum, prout eſt divinitati conjuncta, quia toti Chriſto ſacrificandum eſt. Et „ quod dicit Auguſtinus, quia maluit Chriſtus „ ſacrificium eſſe, quam ſumere; dicendum, „ quod hoc non dicit, quod non deberet in „ carne adorari, & ei ſacrificari; ſed quia voluit vitare occaſionem erroris, ne alicui creaturæ exhiberetur per ſe honor divini Numinis.

Objicies 4. Damaſcenus in lib. 4. fidei c. 3. ſcribit, quod caro Filii Dei *ſuapte quidem natura, ſi ſubtili quadem conſideratione id quod viſibile eſt, ab eo quod ratione tantum intelligitur, diſtinxeris, nequaquam adoranda eſt, utpote creata*. Poteſt ergo juxta Damaſceni mentem Chriſti humanitas uti diſtincta a Verbo concipi, & non latriæ, ſed hyperduliæ cultu adorari; ſicuti S. Thomas textum iſtum exponit in p. 3. q. 25. a. 2. ad 1.

Reſp. quod Chriſti caro non ſit eo modo colenda, quo poteſt a nobis intelligi, vel effingi; uti ſcilicet a Verbo ſejuncta; ſed quatenus revera eſt Verbo ſecundum hypoſtaſim copulata. Neque vero aliud Damaſcenus, & S. Thomas aſſerere voluerunt, quam ſi finxerimus carnem Chriſti ſeparatam a Verbo (qualis neque reipſa eſt, neque unquam erit), tunc ea conditione poſita, adorandam non eſſe latria, ſed inferiori honoris ſpecie proſequendam.

Ex dictis contra quoſdam Scholæ Doctores apparet, quod Chriſti humanitas abſoluto latriæ cul-

cultu adoranda ſit, adoratur enim propter excellentiam exiſtentem in ſuo ſuppoſito, in quo videlicet ipſa ſubſiſtit. At Chriſti imago relativo tantum latriæ cultu dicitur adorari; quia nempe colitur non ob excellentiam, quam ipſa habet, ſed ob eam quæ manet in Chriſto, cui imago hypoſtatica ac ſubſtantiali unione non jungitur, ſed ipſum dumtaxat extrinſecus repræſentat.

CAPUT II.

Quod Virgo Deipara, Sanctique omnes cum Chriſto regnantes religioſo venerandi ſint cultu.

Lutherani, & Calviniſtæ religioſum cultum omnem Sanctis cum Chriſto regnantibus denegant, Catholicoſque id exequentes idololatriæ impudenter inſimulant: quo in errore ſequuntur illi Ethnicos, Mahometanos, Manichæos, alioſque antiquiores hæreticos.

Propoſitio 1. Sancti in Cœlo regnantes religioſum cultum aliquem promerentur.

Probatur. Religioſus cultus debetur Sanctis adhuc in terra degentibus: ergo debetur & Sanctis in Cœlo regnantibus, qui præſtantiori & inamiſſibili gratiæ excellentia cum Deo fruuntur. Probatur antecedens: Regum 3. c. 18. v. 7. legitur: *Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognoviſſet eum, cecidit ſuper-*

per faciem ſuam, & ait: Num tu es, domine mi Elias? Modo honor quo Abdias eſt proſecutus Eliam, non civilis fuit, & politicus; nam ratione politicæ ſocietatis Abdias, cum diſpenſator eſſet regiæ domus & Princeps, erat Elia ſuperior: ergo religioſus fuit honor & cultus ob prophetiæ donum, eximiamque ſanctitatem exhibitus.

Legitur etiam in 4. Regum 2. v. 15. quod *videntes filii Prophetarum, qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Et venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Et hic igitur ſane cultus apparet, quo Prophetarum filii Eliſeum proſecuti ſunt ſupernaturalium donorum intuitu.

Eundem quoque cultum SS. Angelis impendendum eſſe colligitur ex Gen. 19. v. 1., ubi Lot cum vidiſſet Angelos, *ſurrexit, & ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram.* Et Joſue c. 5. v. 15. *cecidit pronus in terram, & adorans* Angelum, *ait: Quid dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?* Quod ſi SS. Angeli religioſo honore licite pieque coluntur, ut ex adductis aliiſque textibus demonſtratur; nil profecto vetat, quo minus eadem etiam veneratione ſanctos homines proſequamur, qui cœleſti beatitudine potiuntur.

Perpetua inſuper SS. Patrum traditione, conſtantique univerſalis Eccleſiæ uſu, theſis iſta firmatur. Ambroſius in lib. de Viduis c. 9. ait: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quedam corporis pignore patrocinium vindicare.*

Hie-

Hieronymus in c. 3. Sophoniæ de Apoſtolis inquit: *Quotidie nominatur in Eccleſia, quotidie magnificatur nomen eorum, non quod ipſis proſit a nobis in Eccleſia nominari, ſed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ ſcripſerunt lectitantes, conſequamur ſalutem.*

Item Auguſtinus in lib. 20. contra Fauſtum c. 21. depellens Manichæi hujuſce calumniam, quod Catholici in Martyres idola vertiſſent, eoſdemque votis ſimilibus honorarent, ita ſcribit: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, conſtituamus altaria.*

Tandem Euſebius in lib. 13. præparat. Evan. c. 11. de Sanctis inquit: *Eorum ſepulcra celebrare, & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari conſuevimus, idque a nobis merito fieri ſtatuimus.* Lege etiam lib. 7. Hiſt. c. 9.

Sed & perſpicua ratio propoſitionem oſtendit. Cultus enim excellentiæ correſpondet: ſicut ergo civili cultu humanam excellentiam honoramus in viris doctrina, nobilitate, poteſtate præclaris; ita religioſo cultu ſupernaturalem gratiæ ac gloriæ excellentiam in Sanctis venerari debemus.

Propoſitio 2. Sanctos non latriæ cultu debemus proſequi, ſed duliæ.

Aſſertio iſthæc ulteriori probatione non indiget. Supremus enim latriæ cultus ſupremæ divinæque dignitati debetur: non ergo poteſt SS. Angelis, vel hominibus exhiberi: aliunde vero cum iſti æterna beatitudine ſint a Deo do-

donati, non politicum dumtaxat merentur honorem: ergo religioſo honorandi ſunt cultu, qui niſi duliæ erit, alius omnino eſſe non poterit. Unde S. Auguſtinus in lib. 20. contra Fauſtum c. 21. poſt laudata ſuperius verba ſubjungit: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus; jam in vita feliciore victores, quam in iſta adhuc uſque pugnantes. At illo cultu, qui græce latria dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.*

Propoſitio 3. Beatiſſimæ Virgini Mariæ debetur cultus duliæ majoris, quem hyperduliam appellant.

Probatur ex S. Bonaventura in 3. d. 9. a. 1. q. 3. „ Beatiſſima Virgo Maria pura creatura „ eſt, & ideo ad honorem & cultum latriæ „ non aſcendit: ſed quoniam excellentiſſimum „ nomen habet, ita quod excellentius puræ „ creaturæ convenire non poteſt; ideo non „ tantum debetur ei honor duliæ, ſed hyper- „ duliæ. Hoc autem nomen eſt, quod Virgo „ exiſtens, Dei mater eſt; quod quidem ita „ tantæ dignitatis eſt, quod non ſolum Viato- „ res, ſed etiam Comprehenſores, non ſolum „ homines, verum etiam Angeli eam revere- „ antur quadam prærogativa ſpeciali. Ex hoc „ enim quod Mater Dei eſt, prælata eſt cete- „ ris creaturis, & eam præ ceteris decens eſt

„ ho-

„ honorari, & venerari. Hic autem honor conſuevit a Magiſtris hyperdulia vocari. Et accipitur verbum illud de Gloſſa ſuper 1. Regum 7. ubi dicitur: Dulia major, & dulia minor. " Similia habentur etiam apud S. Thomam in p. 3. q. 25. a. 2.

Objicies 1. Deuteronomii c. 6. v. 13. legitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies;* quo teſtimonio Chriſtus contra diabolum uſus eſt, inquiens Matth. 4. v. 10. & Lucæ 4. v. 8. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et Paulus in 1. ad Tim. c. 1. v. 17. ſcribit: *Soli Deo honor, & gloria.* Denique cum Apoc. 19. v. 10. cecidiſſet Joannes ante pedes Angeli, ut adoraret eum, dixit ei Angelus: *Vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora.* Nulla igitur ſervitute, honore, adoratione colendi ſunt Sancti, etiamſi cum Chriſto regnare dicantur in Cœlis.

Reſp. cum Auguſtino q. 61. in Geneſim, ubi ait: *Quæritur quomodo ſcriptum ſit*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *cum Abraham ſic honoraverit populum quendam gentium*, Gen. 23. v. 7. *ut etiam adoraret. Sed animadvertendum eſt in eodem præcepto non dictum,* Dominum Deum tuum ſolum adorabis, *ſicut dictum eſt*, & illi ſoli ſervies, *quod eſt græce* latreuſis: *talis enim ſervitus non niſi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, ideſt, ejuſmodi ſervitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat, quod alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare ſe, & monet, ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet a-*

di-

dorari, *& ideo fuerat corrigendus adorator*.

Ex adductis itaque textibus dumtaxat evincitur, adorationem, ſervitutem, honorem, gloriamque ſupremam, quæ ſoli Deo, Enti ſcilicet perfectiſſimo & infinito, debetur, creaturis deferri non poſſe. Ceterum hoc non obſtante præcepto, Iſaac Gen. 27. v. 29. dixit ad Jacob: *Serviant tibi populi*, *& adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum*. Et Apoſtolus ad Rom. 2. v. 10. *Gloria*, *& honor*, *& pax omni operanti bonum*. Et ipſemet Chriſtus ait Joan. 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtraverit*, *honorificabit eum Pater meus*. Non ergo quicunque ſacer cultus denegandus eſt Sanctis.

At dices. Scribit Auguſtinus in lib. 2. qq. ſuper Exodum q 94. *Dulia debetur Deo*, *tanquam Domino: latria vero non niſi Deo*, *tanquam Deo*. Neque ergo duliæ cultum SS. Angeli, hominesſque merentur. Et ſane duliæ cultus, eſt cultus ſervitutis; nos autem Dei ſervi ſumus, Sanctorum vero conſervi.

Reſp. nos quidem eſſe Sanctorum conſervos relate ad Deum ſupremum Dominum, cui Sancti, & nos, omniſque creatura ut ultimo fini, ac primo principio famulatur: relate tamen ad nos invicem in terra viventes dici aliquo modo poſſumus ſervi Sanctorum in Cœlo regnantium, quatenus illi ad bene operandum ſalutari exemplo ſuo nos adjuvant, & efficaci apud Deum interceſſione tuentur: ideoque eorum ſervi veneratione, obſequioque vocamur. Unde S. Paulinus in Carmine 1. de S. Felice illum ita precatur:

O Pater, *o Domine*, *indignis licet*, *annue ſervis*.

Ex quo autem Auguſtinus affirmet, latriam deberi Deo, ut Deus eſt, duliam vero eidem deberi ut Domino, dumtaxat infertur, quod latria exhiberi nequeat creaturæ, quia Deus unus eſt: duliam vero etiam creaturæ poſſe deferri patet, cum multi vere proprieque domini nuncupentur. Quanquam interim fateamur, duliam qua colitur Deus, eſſe ſupremam, ſicuti ſuprema in eo dominii excellentia invenitur.

Et dictis apparet, quod etſi juxta etymologiæ vim tam latria, tam dulia idem omnino ſignificent, ſcilicet ſervitutem; juxta tamen Eccleſiæ uſum latriæ cultus eſt dulia ſuperior, denotatque ſummam ſervitutem, qua Deum dumtaxat proſequi poſſumus, ac debemus. Dulia vero eſt cultus inferior, quo Cœlites honoramus, ut eorum ope juvemur. Hic inſuper cultus religioſus dici poteſt: nam etſi religio Deum pro principali objecto reſpiciat, de ſecundario tamen refertur ad Sanctos; imo uti adnotat Auguſtinus in lib. 10. de C. D. c. 1. *latina loquendi conſuetudine, non imperitorum, verum etiam doctiſſimorum, & cognationibus humanis, atque affinitatibus, & quibuſcunque neceſſitudinibus dicitur exhibenda Religio*.

Objicies 2. contra 3. propoſ. Videtur quod Virgo Deipara adoranda ſit cultu latriæ. Honor enim matri exhibitus refertur ad filium: atqui Mariæ Filio cultus latriæ debetur: ergo idem cultus debetur & Matri. Sicut igitur Chriſti imaginem latriæ honore idcirco proſequimur, quia ad prototypum, Chriſtum nempe, refertur; ita & Mater ejus eodem proſequenda eſt cultu.

Reſp. cum S. Bonaventura in ſupra citato

loco, „ quod honorem referri ad aliquem eſt
„ dupliciter. Aut ſicut ad ſubjectum, aut ſicut
„ ad finem. Honor autem, qui exhibetur ma-
„ tri, refertur ad filium, ſicut ad finem. Ho-
„ nor vero, quo adoramus imaginem Chriſti
„ refertur ad ipſum, ſicut ad ſubjectum: unde
„ qui adorat Chriſti imaginem, Chriſtum ado-
„ rat, non imaginem. Qui autem adorat Chri-
„ ſti matrem, etiam adorat Chriſtum, & Ma-
„ trem ſuam.

Ita & latriæ cultu Crucem Chriſti proſequimur: qui ſane honor Chriſtum dumtaxat reſpicit pro ſubjecto. Hic igitur notanda ſunt, quæ Doctor Angelicus habet in p. 3. q. 25. a. 2. *Quia latria ſoli Deo debetur, nulli creaturæ debetur latria, prout creaturam ſecundum ſe veneramur. Licet autem creaturæ inſenſibiles non ſint capaces venerationis ſecundum ſe ipſas, creatura tamen rationalis eſt capax venerationis ſecundum ſeipſam. Et ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ: cum igitur Beata Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, ſed ſolum adoratio duliæ: eminentius tamen, quam ceteris creaturis, in quantum ipſa eſt Mater Dei.*

Si poſtremo quis dixerit, Epiphanium in hær. 79. ſcripſiſſe, quod Maria Virgo *non ad adorationem nobis data ſit, ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa carne genitus eſt*: Ex quo colligi poſſe videtur, non eſſe illam religioſo cultu aliquo honorandam: Reponemus, quod Epiphanius adorationis nomine, latriæ dumtaxat cultum excludat; quo in ſenſu alii etiam Sanctos adorandos non eſſe dixerunt. Agit enim contra Collyridianos, quorum feminæ collyridem, ſive ſiligineam placentam Deiparæ in ſacrificium of-

offerebant; cum tamen ſacrificium non niſi Deo poſſit offerri. Unde ait: *Carnem induit Deus Verbum ex Sancta Virgine, non tamen ut adoretur Virgo, neque ut Deum hanc efficiat, non ut in nomine ipſius offeramus, non ut poſt ſæcula mulieres ſacerdotes, ac ſacrificulas oſtenderet.* Ceterum ibidem S. Pater Mariam *honoratiorem* eſſe reliquis Sanctis evidenter affirmat.

CAPUT III.

Ubi de Sanctorum invocatione diſſeritur.

INter innumera hæreſum portenta Lutherus, & Calvinus aſſeruerunt, quod neque utile ſit, neque liceat invocare Sanctos cum Chriſto regnantes, quia illi preces viventium non cognoſcunt, & quia hujuſcemodi praxis injuriam Chriſto facit, qui ſolus poteſt pro nobis apud Deum intercedere, ac fungi Mediatoris officio. Nos ut de momentoſo hoc dogmate clare ſolideque tractemus, plures adnectimus propoſitiones. Sit igitur

Propoſitio 1. Angeli, & Sancti cum Chriſto regnantes orationes quæ ad ipſos diriguntur, agnoſcunt. Hæc propoſitio etſi certa de fide non ſit, uti plures Theologi ſentiunt, ſine maxima tamen temeritate negari non poſſet; uti ex ſequentibus argumentis oſtenditur.

Probatur. Et primo quod ad Angelos attinet, apertiſſima eſt Scripturæ ſententia. Ait enim Raphael ad Tobiam c. 12. v. 12. *Quando ora-*

orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos . . . ego obtuli orationem tuam Domino. Legitur etiam in Apoc. c. 8. v. 4. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo*. Illi præterea peccatoris pœnitentiam non ignorant ex Lucæ 15. v. 10., & ex Pſalm. 90. nos in omnibus viis actibuſque cuſtodiunt. Denique in conſpectu Angelorum ſe pſalliſſe teſtatur David Pſal. 137. v. 1.

Quod ſi SS. Angeli preces noſtras intelligunt, eaſdem ignorare non poſſunt Sanctorum animæ, quæ ſunt *ſicut Angeli Dei in cælo*; uti Chriſtus ait Matth. 22. v. 30. Hinc Apoc. 5. v. 5. ſcribit Joannes: *Unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit Leo de tribu Juda*. Seniores autem Sancti veteris ac novi Teſtamenti vocantur, qui Triumphantis Eccleſiæ Senatum cum Chriſto conſtituunt. Denique ut alia omittamus, eodem in c. v. 8. ſubjungitur, quod *quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*.

Præterea Sancti dum mortalem adhuc vitam agebant, occultiſſima quædam & abſentia, Dei revelatione noverunt: ut patet ex 1. Regum 9. 10. ex 4. Regum 5. 25. ex Dan. 2. 26. ex Act. 5. 1. &c. Ergo multo nunc magis illi preces noſtras agnoſcunt, quum corporeis vinculis ſoluti clara Dei viſione fruuntur. Unde appoſite S. Auguſtinus in lib. 22. de C. D. c. 29. ſcribit: *Si Propheta Eliſeus puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus: quanto magis ſancti videbunt omnia, etiam unde ſunt corpore abſentes? Tunc*

enim

enim erit perfectum illud, de quo loquens Apoſtolus, Ex parte, inquit, ſcimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.

Accedat tandem ratio, quam ſuppeditat S. Thomas in q. 72. alias 74. Supplem. a. 1. „ „ Unuſquiſque Beatus tantum de aliis rebus neceſſarium eſt ut in eſſentia divina videat, „ quantum perfectio ſuæ beatitudinis requirit. „ Hoc enim ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quidquid velit, nec „ aliquid inordinate velit. Hoc autem recta „ voluntate quilibet vult, ut ea quæ ad ipſum „ pertinent, cognoſcat. Unde cum nulla rectitudo Sanctis deſit, volunt cognoſcere ea, quæ „ ad ipſos pertinent: & ideo oportet, quod „ illa in Verbo cognoſcant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus præſtent ad ſalutem. Sic enim *Dei* „ *cooperatores* efficiuntur, *quo nihil eſt divinius*, „ ut ait Dionyſius 3. cap. Cœleſtis Hierarchiæ. „ Unde patet, quod Sancti habent cognitionem eorum, quæ ad hoc requiruntur. Et „ ſic manifeſtum eſt, quod in Verbo cognoſcunt „ vota, & devotiones, & orationes hominum, „ qui ad eorum auxilium confugiunt. " Huc faciunt quæ diximus in lib. 3. c. 6. de objecto beatificæ viſionis agentes.

Propoſitio 2. Sancti regnantes in Cœlo, orant pro viventibus non ſolum in genere, ſed & pro ſingulis in particulari, cum ab illis ſpecialiter invocantur.

Probatur 1. ex citatis ſupra textibus, ac præſertim ex Tobiæ c. 12. v. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino*; & ex Apoc. 5. v. 8. *Ha-*

 ben-

bentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum &c. Suis enim interceſſionibus viventium preces adjuvant, dum eaſdem divinæ offerunt Majeſtati.

Deinde Sancti V. T. adhuc in Limbo manentes, pro viventibus Deum orabant; ergo multo magis pro nobis orant Sancti in Cœlo regnantes, quorum charitas ex Dei viſione conſummationem majoremque erga nos perfectionem accepit. Probatur antecedens ex Jeremiæ 15. v. 1. ubi ait Dominus: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Legitur etiam in 2. Machab. c. ult. vv. 12. & 14. quod Onias & Jeremias jam pridem defuncti pro Judæis oraverint.

Ad hæc: Fideles in hac vita pro ſe invicem orant, vel alii pro aliis, ac præſertim Juſti pro iis qui peccato tenentur obnoxii. Ita paſſim legimus, ſanctos olim Prophetas & Sacerdotes, Moyſen, Aaron, Samuelem, Jeremiam, aliosque pro populo Deum oraſſe. Ita Gen. c. 20. v. 7. dixit Deus ad Abimelech: Abraham *orabit pro te, quia Propheta eſt, & vives*. Et Jobi c. 42. v. 8. ait Dominus: *Job autem ſervus meus orabit pro vobis; faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia*. Paulus etiam in epiſtolis ſuis affirmat, ſe ſine intermiſſione pro omnibus ad quos ſcribit orare, eorumque viciſſim orationes pro ſe, & pro felici Evangelii prædicatione repoſcit. Tandem in Oratione Dominica Chriſtus ipſe pro aliis petere, & orare nos docuit. Ergo poterunt & Sancti cum Chriſto regnantes pro viventibus etiam in ſpecie deprecari, quorum vota, & devotiones, & orationes in Verbo cognoſcunt. Unde Hieronymus ita Vigi-

gilantium perſtringebat: *Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam; & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur; & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperunt, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi animas condonatas; & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, ora clauſurus eſt; & pro his qui in toto orbe ſuo Evangelio crediderunt, mutire non poterit?*

Id ipſum poſtremo demonſtrat Triumphantis Eccleſiæ cum Militante communio, quam inter fidei noſtræ articulos profitemur, dum dicimus, quod *Sanctorum communionem* credamus. Sancti enim in Cœlo regnantes ſunt noſtri Concives; nam ex Triumphante, ac Militante Eccleſia unum Corpus efficitur, cujus Caput eſt Chriſtus. Unde Paulus ad Epeſ. 2. v. 19. & 20. ſcribit: *Jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Ergo nos inter & Sanctos talis debet eſſe communio, qualis inter membra ejuſdem corporis ſub uno capite reperitur: atqui communio iſta ex eodem Apoſtolo in 1. ad Cor. 12. v. 25. requirit, ut *pro invicem ſollicita ſint membra*, utque validius membrum juvet infirmius. Ergo Sancti in Cœlis qui charitate meritiſque validiora ſunt membra, nos adjuvant, qui infirma ac debilia membra ſumus.

Propoſitio 3. Sancti cum Chriſto regnantes, a nobis recte & utiliter invocantur.

Probatur ex huc uſque dictis. Sancti enim preces noſtras agnoſcunt, & pro nobis orant, eorumque orationes & merita accepta ſunt Deo: recte igitur & utiliter eoſdem a nobis invocari dicendum eſt. Hinc in Scriptura non raro legimus, viventes Juſtos a viventibus invocatos. Nam in 1. Regum 7. v. 8. filii Iſrael Samueli dixerunt: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum*. Et additur v. 9. *Clamavit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudivit eum Dominus*. Legitur etiam in lib. Job c. 42. v. 8. quod dixerit Dominus amicis Job: *Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis. Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia*. Subditurque v. 10. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis ſuis*. Denique Paulus ad Rom. 15. v. 30. ſcribit: *Obſecro vos, fratres . . . ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*. Si ergo licet, ac utilitate non caret, invocare Juſtos in hoc exilio commorantes, cur Sanctos in Patria cum Chriſto regnantes invocare vanum, vetitumque dicetur? Lege & Gen. c. 48. v. 16., & Exodi 32. v. 13. & Pſal. 131. v. 1. &c.

Patres etiam tum Græci, tum Latini ab ipſo Eccleſiæ initio in hanc Catholicam veritatem unanimiter conſpirarunt. Irenæus in lib. 5. c. 19. Evam Mariæ comparans ait: *Et ſi ea inobedierat Deo, ſed hæc ſuaſa eſt obedire Deo, ut Virgini Evæ Virgo Maria fieret advocata*. Cyril-

rillus Hieroſolym. Catecheſi 5. Myſtagogica de Miſſæ ſacrificio inquit: *Poſtea recordamur eorum quoque, qui obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*. S. Ephrem Syrus in ſermone de laudibus omnium Martyrum ait: *Obteſtamur vos, o SS. Martyres, qui pro Domino Salvatore, ejuſque amore ſponte ac prompte atrociſſima tormenta ſubiiſtis, quamobrem etiam familiarius ei conjuncti eſtis, ut pro nobis miſeris peccatoribus negligentiæ ſqualore obſitis Dominum deprecemini, & ut divinam ſuam in nos infundat gratiam &c.* His adde Chryſoſtomum hom. 26. in 2. ad Corinthios, Nazianzenum orat. in Cyprianum, Nyſſenum orat. in S. Theodorum, Theodoretum in Hiſt. SS. Patrum, Damaſcenum lib. 4. de fide c. 16. &c.

Conſonant & Latini, quos inter Ambroſius in lib. de Viduis c. 9. ita ſcribit: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiam ſi qua habuerunt peccata, laverunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere &c.*

Hieronymus in epiſt. 27. ad Euſtochium de epitaphio Paulæ inquit: *Vale, o Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva: fides, & opera tua Chriſto te ſociant: præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis.*

Auguſtinus in lib. 7. de Baptiſmo contra Do-

na-

natiſtas c. 1. hiſce verbis invocat Cyprianum: *Adjuvet itaque nos orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantibus, ut donante Domino, quantum poſſumus, bona ejus imitemur.* Et ne prolixiores ſine cauſa ſimus, legere ſtudioſi poterunt Hilarium in Pſal. 129. Fulgentium in ſerm. de laudibus Mariæ, Leonem ſerm. 5. de Epiph. Gregorium lib. 2. dialog. c. ult. &c.

Poſtremo vel ipſa naturæ lex dictat, ut opem quiſque ab eo petat, qui vult poteſtque juvare: Atqui Sancti juvare nos volunt, quia perfecta charitate nos diligunt; tum etiam poſſunt, quia diliguntur a Deo; ac inſuper Chriſti promiſſionem illam habent Joan. 16. 23. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Eos igitur invocare licet, conducitque, ut nos ſuis apud Deum intercesſionibus adjuvent. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 45. a. 3. quæſtione præſertim 3.

Objicies 1. contra 1. prop. Eccleſiaſtes c. 9. v. 1. ait: *Mortui nihil noverunt amplius.* Et Jobi 14. 21. legitur: *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget;* homo nempe poſt mortem. Denique Iſaiæ 63. 16. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos.* Quibus & illud adjungi poteſt ex 1. ad Cor. 2. v. 21. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?*

Reſp. ad 1. & 2., quod textibus illis non aliud oſtendatur, quàm mortuos naturaliter ignorare quid agant vivi; ſicut & iſti naturaliter non cognoſcunt quid agant mortui. Id enim Eccleſiaſtes non obſcure ſignificat, dum eodem in verſu præmittit: *Viventes ſciunt ſe morituros;*

vos ; quaſi dicat, eorum ſcientia ad mortem uſque, & non ultra protenditur. Nam quid poſt mortem agatur, naturaliter noſſe non poſſunt. At vero ſicuti viventes de ſtatu futuri ſeculi multa ex Dei revelatione noverunt; ita & qui in Chriſto ſunt mortui, Deique claritate fruuntur, in ipſo Deo omnia vident: quemadmodum eumdem Jobi locum exponens Gregorius docet in lib. 12. Mor. c. 13. modo 21. *Quia qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod foris ſit aliquid quod ignorent.*

Ad 3. reponit Hieronymus comment. in eum locum, denotari ignorantiam oppoſitam notitiæ amoris, ſive approbationis; ita ut iſte ſit ſenſus: Abraham, & Iſrael nos quaſi degeneres averſantur, quia ſciunt dereliquiſſe nos Dominum: quo etiam modo Chriſtus ſe quibuſdam dicturum fore minatur: *Neſcio vos*. Ex hoc itaque loco contrarium potius demonſtratur, nempe quod Sancti etiam in V. T. defuncti, & nondum intuitiva Dei viſione donati, ſtatum populi ſui moreſque cognoverint; ſicut & certum eſt, cognoviſſe Jeremiam & Oniam, quando 2. Machab. ult. pro populo Dei orabant.

Ad 4. Id tantum ait Apoſtolus, quod ſolus Deus humanorum cordium arcana ſcrutetur hoc ſenſu, quia ſolus ipſe propria virtute ſemper & exactiſſime omnes omnium cordium cogitationes agnoſcat. Sancti vero eas noſſe non poſſunt, niſi revelatione divina; ſicuti etiam in hac vita Samueli, Eliſeo, aliiſque non paucis plurima revelavit.

Opponere hic quoque illud ſolent, quod Joſiæ Regi Dominus ait 4. Regum 22. v. 20. *Colli-*

ligam te ad patres tuos; & collegeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. Sed hoc in loco *videre* eſt experimento cognoſcere. Id enim Dominus Joſiæ pro pietatis ſuæ merito ſpopondit, quod morte præventus proxime imminentes populo calamitates non eſſet experimento viſurus. Sic Judas Machabæus ajebat in 1. Machab. 3. v. 59. *Melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum:*

At inſtabis. Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis c. 13. poſtquam adducit teſtimonium illud ex Iſaia: *Abraham neſcivit nos, & Iſrael &c.* adjungit: *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt... quomodo mortui vivorum rebus, atque actibus cognoſcendis, adjuvandiſque miſcentur?* Ac deinceps affert illud ex 4. Regum c. 22. *Colligam te ad patres tuos &c.* atque ita concludit: *Ibi ergo ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident quæcunque aguntur, aut eveniunt in iſta vita hominibus.*

Reſp. quod Auguſtinus eo in loco dumtaxat affirmet, mortuos vivorum rebus aſſidue, aut ordinarie non adeſſe, neque noſtra omnia ſcire, ne ipſos quidem Sanctos & Beatos; idque recte demonſtrat exemplo matris ſuæ S. Monicæ, quæ nunquam ad ipſum conſolandum accedebat, etſi eundem valde diligeret. Quod autem Sancti divina revelatione cognoſcant quæ in terris aguntur, ac præcipue pias viventium preces ad ſe ſpectantes, quodque etiam interdum extraordinarie præſentes adſint hominibus; docet ibidem cc. 15. & 16., tametſi non explicet, num ſin-

ſingulorum preces ſigillatim intelligant.

Poſtremo notamus, quod etſi Sancti preces noſtras in ſpecie, diſtincteque non noſſent, adhuc tamen poſſent utiliter invocari. Sat enim eſſet, quod eos Deus agnoſceret, & audiret. Nam cum Sancti pro viventibus, & maxime pro ſibi conjunctis, ſaltem generaliter orent, Deus, cui placet propter eorum vota nos exaudire, id quod precamur, impertit.

Objicies 2. contra 3. propoſ. Nemo invocare debet eum, in quem non credit: ut enim ſcribit Apoſtolus ad Rom. 10. v. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Atqui in Deum dumtaxat credimus, non in Sanctos; uti patet ex Symbolo: *Credo in Deum*. Non ergo invocandi ſunt Sancti. Hinc orandi formam nobis Chriſtus ipſe præſcribens ait Matth. 6. v. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis &c.*

Reſp. diſtinguo majorem, nemo invocare debet, uti primum bonorum omnium auctorem, concedo; uti interceſſorem apud Deum, nego. De primo invocationis modo intelligendus eſt Apoſtoli textus, uti patet ex præcedente v. 13. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit:* ac proinde in v. 14. repetendum eſt Dei nomen hoc modo: *Quomodo invocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt?* Alio autem modo poſſe Sanctos tum vivos, tum mortuos invocari, aperte colligitur ex Gen. 48. v. 16., ubi Jacob benedicens filiis Joſeph ait: *Invocetur ſuper eos nomen meum, nomen quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac.* Ex quo Auguſtinus in lib. locutionis de Geneſi n. 200. colligit, *non ſolum exauditionem, ſed etiam*

iam invocationem dici aliquando, quæ non Dei, ſed hominum ſint. Ita ſimiliter licet in Deum tanquam in ſalutis auctorem ſpeciali modo credamus, ſitque ille fidei noſtræ primarium, ut ajunt, objectum; aliquatenus tamen in ipſos etiam Sanctos credimus, & ſpem aliquam in eorum interceſſione reponimus; cum ſint amici Dei, ac plura nobis ab ipſo valeant impetrare.

Quod ſi tandem hæretici adductum ex Matthæo teſtimonium nimis urgere voluerint, profecto concludent, neque Filium, neque Spiritum Sanctum a nobis eſſe invocandum; cujus tamen oppoſitum aperte aſſerunt vel ipſi Magdeburgenſes in Centuria 1. lib. 1. c. 4., quorum eſt iſthæc objectio. Licet ergo Chriſtus Cœleſtem Patrem, uti gratiæ & gloriæ omniumque beneficiorum auctorem, orandum eſſe nos doceat; non tamen orationem vetat, qua Sanctos in Cœlo regnantes, ut pro nobis apud Patrem impetrent, invocamus.

Objicies 3. Paulus in 1. ad Tim. c. 2. v. 5. ait: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Sicut ergo unius Dei honorem obſcurant, qui alios præter eum Deos adorant; ita unius Mediatoris honori & officio derogant, qui alios præter eum Mediatores conſtituunt, & Advocatos, per quos ad Deum accedant. Unde idem Apoſtolus ſcribit ad Epheſ. 2. v. 18. *Per ipſum habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu ad Patrem*.

Reſp. quod Chriſtus unicus ſit Mediator noſter eo in ſenſu, quod nos Deo reconciliaverit, ac per proprium ſanguinem a diaboli ſervitute redemerit; ſicut idem Apoſtolus indicat in objecto ad Timotheum textu ſubjungens: *Qui de-*

dit

dit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Unicus eſt etiam Mediator Chriſtus ratione naturæ; quia ſolus ipſe cum Deus ſit & homo, inter Deum hominemque eſt medius; uti Cyrillus obſervat in lib. 12. Theſauri c. 10. Id vero non obſtat, quin Sancti ſint ſecundarii Mediatores eo in ſenſu, quod non tantum in ſe fructum redemptionis Chriſti ſuſcipiunt, ſed inſuper cauſa ſint, ut idem fructus aliis applicetur. Id enim honorem officiumque Mediatoris Chriſti non lædit, quia Sancti omnem intercedendi ac impetrandi vim quam habent, ex Chriſti meritis acceperunt, ſine cujus mediatione nemini ad Deum pateret acceſſus: ſicuti nempe viventium in terris Sanctorum interceſſio, ipſis hæreticis confitentibus, ob eandem rationem Chriſti gloriam non obſcurat.

Ut tandem ſcrupulus omnis de voce *Mediatoris* a Novatoribus auferatur, audiendus eſt Moyſes, qui Deut. 5. v. 5. ait: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos*. Et Paulus ad Gal. 3. v. 9. ſcribit, Legem ordinatam eſſe *per Angelos in manu Mediatoris*, Moyſis ſcilicet. Nazianzenus etiam orat. 6. Martyres *Mediatores ad Dominum* appellare non dubitat; ſicuti etiam Cyrillus citato mox in loco Apoſtolos, & Prophetas inſignire eodem nomine non veretur.

Objicies 4. Apoſtolus ad Coloſſenſes 2. v. 18. ſcribit: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum . . . Et non tenens Caput, ex quo totum corpus &c.* Ubi ſignificari videtur, eos qui Angelos tanquam ſuos ad Deum interceſſores colunt, non retinere unicum Mediatorem Chriſtum, qui eſt Caput Eccleſiæ.

Reſp.

Reſp. quod Apoſtolus ibi Coloſſenſes avocet ab hæreſi Simonis magi, qui Platonicos ſequutus ajebat, Angelos eſſe colendos, uti minores deos, qui & mundum condiderint, & locuti fuerint per Prophetas; nec poſſe quemquam placare ſummum Deum, qui inviſibilis & inacceſſibilis eſt, niſi per Angelos, quos Chriſto præferendos eſſe cenſebat. Et ideo inquit Apoſtolus: *Non tenens caput*; nam qui Angelos ita colit, Chriſto tanquam capiti non adhæret. Unde Chryſoſtomus hom. 7. in hunc locum ait: *Sunt nonnulli qui dicunt, non oportere per Chriſtum reconciliari, & ad Patrem accedere, ſed per Angelos. Et propterea*, Paulus, *ſurſum ac deorſum, quæ de Chriſto ſunt, verſat*. Et Hieronymus in epiſt. ad Algaſiam quæſt. 10. ſcribit, Paulum reprehendere eos, qui *quaſcumque offerunt victimas, non Deo offerunt, ſed Angelis refugis, & ſpiritibus immundis*.

Ex quibus apparet, Paulum damnare eos, qui neglecto Chriſto idololatricum cultum Angelis, etiam refugis, impendebant. Quod & poſtea præſtitit Laodicena Synodus can. 35. definiens: *Non oportet Chriſtianos derelicta Eccleſia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta ſunt. Quicunque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema ſit, quoniam derelinquens Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei, acceſſit ad idola*.

At contra ſuperius dicta obſtare videtur, quod habet Theodoretus laudatum Pauli textum exponens: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, fuiſſe legem per eos datam. Manſit autem diu hoc vitium*

in

in Phrygia, & Piſidia. Quocirca Synodus quoque quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum uſque diem videre licet apud illos, & eorum finitimos Oratoria S. Michaelis. Ex quibus videtur inferri, quod tum Apoſtolus, tum Laodicena Synodus SS. Angelorum invocationem omnem cultumque damnaverint.

Reſp. quod etiam juxta Theodoreti mentem Apoſtolus impiam invocationem, profanumque cultum inhibeat, quem hæretici non ſine Mediatoris noſtri Jeſu Chriſti contemptu Angelis impendebant. Poſt enim adducta verba ſtatim adjungit Theodoretus: *Illi ergo hoc conſulebant, utique humilitate utentes, univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri; & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare.*

Quod vero Theodoretus ait, Oratoria S. Michaelis ad ſua uſque tempora permanſiſſe, duobus modis poteſt intelligi; vel nempe quod adhuc veſtigia Oratoriorum extiterint, in quibus hæretici victimas S. Michaeli mactaverant; vel quod templa ab hæreticis conſtructa, ut malis etiam Angelis immolarent, in Oratoria S. Michaelis a Catholicis converſa ad ſua uſque tempora permanerent, & quod ex talium locorum multitudine colligi poſſet, quam late olim in regionibus illis Simoniana hæreſis graſſata fuiſſet.

Objicies 5. Chriſtus magis acceptus eſt Patri, quam accepti ſint Sancti, qui Chriſti meritis addere omnino nil valent. Unde Rom. 8. v. 32. ait Paulus: *Qui etiam proprio filio ſuo non*

non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ipſius præterea Chriſti promiſſionem habemus, qui Joan. 16. v. 23. dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Reſp. quod Sanctorum preces non idcirco petantur, aut fiant, ut ſuppleant, quod ex parte Mediatoris Chriſti deeſt, quaſi non ille Patri ſatis ſuperque ex ſeipſo ſit gratus; ſed ut ſuppleant quod ex parte noſtra deeſt, qui ſæpe minus digni ſumus, minuſque diſpoſiti, ut ea quæ in Chriſti nomine petimus, aſſequamur. Cujus etiam rei cauſa viventium preces ſæpe Scriptura commendat, ac præſertim Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini: multum enim valet oratio juſti aſſidua.*

Quod ergo ſcribit Paulus, Patrem omnia nobis cum Chriſto donaſſe, non evincit aut non licere, aut eſſe ſuperfluum, quod Sanctos in Cœlo regnantes invocemus, aut quod iidem pro nobis orent; ſicuti ex eodem textu non ſequitur, ſuperfluum eſſe, vel vetitum, quod nos pro nobis ipſis oremus, orationeſque Eccleſiæ, & Juſtorum in terra viventium depoſcamus. Nam etſi Deus Pater omnia ad ſalutem neceſſaria una cum Filio donet Electis, & quædam etiam ſine prævia oratione concedat; quædam tamen non niſi per ipſorum, vel aliorum pro ipſis orationes impertit. Unde Auguſtinus in ſerm. 382. alias 4. de Sanctis ait: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Huc quoque facit quod dicit Deus ad amicos Jobi c. 42. v 8. *Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis. Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* CA-

CAPUT IV.

Agit de cultu, qui Chriſti Cruci, ejuſdemque imagini, ac ſigno debetur.

MAhometani Crucem Chriſti abominantur, & Chriſtianos eam colentes idololatras appellant. Ex Chriſtianis autem Petrobruſſiani, & Wicleſitæ eundem cultum reprobarunt, quibus adhæſere Lutherani; quamvis iſti concedant, quod liceat Crucis lignum, vel Sanctorum imagines in Templo ſervare. Calviniſtæ demum non tantum Crucis cultum, ſed & uſum eandem in Templo ponendi redarguunt: hinc ubicunque poſſunt, Crucis imagines auferunt, & ſi pretioſæ ſint, in ſua lucra convertunt. Crucis etiam ſignum quod in fronte, vel aere, vel ſuper res quaſcunque formamus, abhorrent, illudque magicam ſuperſtitionem appellant. His autem poſitis ſit

Propoſitio 1. Crux cui Chriſtus affixus fuit, religioſo honore colenda eſt.

Probatur aſſertio ex veterum Fidelium teſtimonio, qui ardenti deſiderio tenebantur, ut Crucem, quam Chriſtus ſuo contactu ſanctificavit, ac ſanguine ſuo perfudit, aſpicerent, vel ut aliquod ejus fruſtum haberent. Unde Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 10. §. 19. ait: *Sanctum Crucis lignum, quod ad hodiernum uſque diem apud nos conſpicitur, ac per eos, qui fide impellente ex eo fruſta decerpunt, orbem fere totum*

hinc jam opplevit. Paulinus etiam in epiſt. 31. alias 11. ſcribit, S. Crucem Hieroſolymis in ſacrario aſſervari, & ab Epiſcopo in Paſchate adorandam exponi; neque præter illam diem aliis, niſi peregrinis, oſtendi; additque, quod illa ita *innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividua ſumentibus, & ſemper totam venerantibus*.

At ne prolixiores ſimus, legere Candidati poterunt Ruffinum lib. 10. Hiſt. c. 9. Socratem lib. 1. c. 17. Sozomenum lib. 2. c. 2. Severum lib. 2. c. 34. Evagrium lib. 4. c. 26., Euſebium in Chronico, alioſque tum veteres, tum recentiores Hiſtoricos, qui miracula narrant, quæ in Crucis inventione, ac poſtea paſſim operatus eſt Deus, ut nempe Fideles debito illam proſequerentur honore.

Et ſane ſi locus, in quo Angelus Dei perſonam gerens apparuit, *terra ſancta* dictus eſt Exodi 3. v. 5. & *locus ſanctus* Joſue 5. v. 16. Cur non magis ſancta dicetur, & venerabilis Crux, in qua Deus ipſe in carne pependit? Si ſudaria, & ſemicinctia Pauli in honore fuerunt propter contactum ejuſdem Apoſtoli, Act. 19. v. 12. cur non honoranda magis erit Crux, quam Chriſtus tetigit, ſuoque ſanguine irrigavit? Denique ſi Sacramenta coluntur quæ inſtrumenta ſunt gratiæ, cur Crux colenda non erit, in qua ut in inſtrumento peracta eſt humana redemptio?

Propoſitio 2. Crucis imago honorem cultumque meretur.

Probatur ex perpetua Eccleſiæ traditione, cujus locupletiſſimos teſtes habemus Patres Synodi

di Nicænæ II. Œcumenicæ VII. qui Actione VII. ajunt: *Regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, ac divinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem obſervantes, definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas & ſanctas imagines ad modum, & formam venerandæ, & vivificæ Crucis e coloribus, & teſſellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas, habendaſque: tum in ſacris vaſis, & veſtibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis &c.*

Trullana etiam, ſive Quiniſexta Synodus Can. 73. ait: *Cum Crux nobis vivifica ſalutem oſtenderit; vos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus, eum quem par eſt honorem exhibeamus. Quamobrem & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras quæ a nonnullis in ſolo ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nobis tropbæum injuria afficiatur.*

His accedit, quod cum Julianus Apoſtata Chriſtianis illuderet, quia Crucis lignum adorarent, ædiumque veſtibulis imaginem ejus inſculperent, Cyrillus in lib. *6.* contra eundem Julianum id a Chriſtianis paſſim fieri non negat, ſed recenſitis beneficiis, quæ Chriſtus nobis in Cruce attulit, ita ſubjungit: *Horum nobis omnium ſalutare lignum memoriam excitat. Quocirca nos, uti dixi, honorandæ Crucis lignum boni omnis, ac virtutis admonitionem facimus.*

Poſtremo ſi terreni Regis ſignum, ſive vexillum honorari meretur; quanto majori honore

Crucis imaginem proſequamur oportet, quæ ſuperni Regis eſt ſignum, uti Chriſtus ipſe ait Matth. 24. v. 30. *Tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo?* Hinc Conſtantinus Imperator cœleſti habita viſione Crucis ſignum erexit, quod exercitum anteiret, & hoſtibus objiceretur, quibuſdam militibus deſignatis, qui illud cuſtodirent, ac per vices efferrent: indeque illud mirabile contigit, ut non ſolum ipſe in bello victor evaderet, ſed nemo eorum, qui ſignum ſalutare gerebant, telorum ictibus læderetur. Lege Euſebium in lib. 2. de Vita Conſtantini c. 6. 7. 8. 28. 29. & 30. &c.

Propoſitio 3. Sacrum eſt & venerabile Crucis ſignum, quod ſuper pectus, frontem, aut rem quamlibet, quam benedicere volumus, efformamus.

Probatur ex antiqua Eccleſiæ praxi, Patrumque doctrina. Tertullianus in lib. de Corona Militis c. 2. deſcribens religioſos ætatis ſuæ ritus ait: *Ad omnem progreſſum, atque proventum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.*

Cyrillus Hieroſolym. in Catecheſi 4. *Fac vero ſignum* Crucis, *dum manducas, & bibis, ſedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio.*

Auguſtinus tract. 18. in Joan. *Quid eſt quod omnes noverunt ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

Ea-

Eadem denique aliorum Patrum ſententia eſt, qui etiam prodigia per Crucem effecta narrarunt, idemque ſignum terrorem dæmonibus inferre ſcripſerunt. Vide Origenem hom. 6. in c. 15. Exodi, Nyſſenum in vita Gregorii Neocæſareenſis, Nazianzenum orat. 1. in Julianum, Lactantium lib. 4. inſtit. c. 26. &c.

Non ergo Crucis ſignum magicæ artis inventum eſt, cum per ipſum potius omnis magia ſolvatur, dæmoneſque fugentur: non enim poteſt ſatanas ſatanam ejicere, & adverſum ſe eſſe diviſum; uti bene Chriſtus ait Matth. 12. v. 26. Hinc Athanaſius de Incarnatione Verbi Dei ſcribit: *Veniat & quiſquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipſis dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis ſigno Crucis quæ apud ipſos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet, mox videbit, quam cito per ipſum fugentur dæmones, ceſſent oracula, ars omnis magica veneficiaque evaneſcant.*

Objicies 1. contra primam partem cum Petrobruſſianis. Crux Chriſto ignominiam attulit, & dolorem: non ergo eſt illa a nobis colenda, ſed potius deteſtanda videtur. Et ſane ſtultus & impius cenſeretur filius, qui patibulum coleret, in quo probroſe ejus genitor pependiſſet.

Reſp. cum S. Thoma in p. 3. q. 25. a. 4. ad 1. „ quod in Cruce Chriſti quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium conſideratur opprobrium Chriſti: ſed quantum ad effectum noſtræ ſalutis conſideratur virtus divina ipſius, qua de hoſtibus triumphavit, ſecundum illud Coloſſ. 2. Ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & ſpolians principatus,

„ & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. Et ideo dicit „ Apoſtolus 1. ad Cor. 1. Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: his autem qui „ ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt.

Colenda itaque Crux eſt, quæ ſalutis noſtræ inſtrumentum extitit, & ex Chriſti contactu ſanctificationem accepit, & ingentia per Chriſtum beneficia nobis collata commemorat, ac ipſum denique Chriſtum ſua effigie repræſentat, qui tanquam agnus innocens oblatus eſt, quia ipſe voluit. Alii vero homines vel in patibulis ſuſpenduntur inviti, vel ex culpa ſive vera, ſive ſaltem in actis probata; quod Chriſto non contigit, teſte Pilato judice ſemel atque iterum proteſtante: *Ego nullam invenio in eo cauſam*: Joan. c. 18. v. 38. & c. 19. v. 4. Denique ex aliorum hominum morte non ea nobis bona proveniunt, quæ in Crucifixi Jeſu Chriſti morte abunde recepimus. Nihil ergo mirandum, ſi Chriſti quidem Crucem, non vero aliorum hominum patibulum veneremur: quamvis ſi iſti pro Chriſto, vel pro Republica mortem innocentes oppeterent, inſtrumenta mortis eorum non ſine debito ſervarentur honore.

At dices. Labia Judæ, manuſque eorum, qui Chriſtum egerunt in Crucem, ejuſdem Chriſti tetigere corpus, ac paſſionis ejus inſtrumenta fuerunt; & tamen nemo illa colit: ergo neque colenda Crux erit, etſi Chriſti corpus tetigerit, noſtræque ſalutis fuerit inſtrumentum.

Reſp. quod labia Judæ, & crucifigentium manus, cum eorum hominum partes ſint, honorari non poſſunt, niſi iidem impii homines honorentur; honor enim ad perſonam directe re-

refertur: at Crux eſt res per ſe ſubſiſtens, & naturaliter innocens; adeoque coli poteſt, quia Chriſti membra ſine crimine tetigit, fuitquæ proximum inſtrumentum non actionis cœleſtæ (ut crucifigentium manus, & labia Judæ), ſed paſſionis, ut ſalutaris, ex qua ſanctitatem aliquo modo participat.

Objicies 2. Honor exhibendus eſt rei quæ laudem meretur, & quæ contumeliam inter honoremque diſcernit: atqui Crux Chriſti, cum inſenſibilis res ſit, neque mereri poteſt, neque inter contumeliam honoremque diſcernere.

Reſp. cum S. Bonaventura in 3. d. 9. a. 1. q. 4. „ quod ſicut duplex eſt laus, ſic duplex eſt „ honor. Aliquid enim laudatur propter ex„ cellentiam ſuæ naturæ, ſicut res pulchra, & „ bona per propriam naturam laudatur. Ali„ quid laudatur propter virtutis ſtrenuitatem; „ & hæc quidem laus reſpicit merita, prima „ vero non. Sic & duplex eſt honor: quidam „ exhibetur in teſtimonium virtutis; & ideo „ iſte non eſt exhibendus Cruci, niſi ratione „ Crucifixi, cujus quidem virtus, & intelligen„ tia, & excellentia eſt ſuper omnia. Alius eſt „ honor, qui exhibetur in ſignum alicujus no„ bilitatis, & excellentiæ; & hoc modo honor „ non exigit merita, nec requirit virtutem in „ honorato, vel cognitionem, ſed aliquam ra„ tionem dignitatis, ob quam debeat ſibi re„ verentia exhiberi; & hoc modo quadam no„ bilitatione Deus lignum Crucis nobilitavit, „ dum in ea pependit, & genus humanum li„ beravit: & ideo Crucem laudamus & vene„ ramur ex iſta nobilitate, & multiplices ejus „ laudes decantat Eccleſia, & per præſentiam

„ iſtius

„ iſtius ſacratiſſimi ligni multa impenſa ſunt „ fidelibus beneficia, & miracula.

Monendum hic opportune cenſemus, quod in rigore dici non poſſit, nos Chriſti Crucem, vel ejus imaginem, aut ſignum adorare, vel proſequi cultu latriæ. Adoratio enim honor eſt, qui alicui exhibetur *in teſtimonium virtutis, & famulatum complacentiæ;* uti laudato mox in loco inquit S. Bonaventura. *Nemo autem*, ut ibidem ille ſubjungit, *intendit Cruci placere, vel aliquid impetrare ab ea; ſed ei, qui in ea affixus fuit: & ſic non debetur ei adoratio latriæ.* Unde S. Ambroſius in oratione de obitu Theodoſii loquens de Helena Conſtantini matre n. 46. ait: *Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique; quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum: ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptum in titulo.*

Et ſane, uti Seraph. Doctor obſervat, *adoratio, ſicut allocutio, videtur eſſe ſolummodo inter rationis capaces (adoratio enim quædam oratio eſt ad aliquid ordinatum: unde adorare eſt aliud orare): Crux autem Chriſti omnino caret ratione.*

Rectius ergo dicitur, nos Crucem religioſo ac ſacro cultu honorare, revereri, venerari; *quia*, inquit S. Bonaventura, *honor venerationis exhibetur ipſi Cruci, tanquam inſtrumento noſtræ ſalutis. Unde ſicut exhibemus reverentiam Sacramentis, quia eſt in eis aliquo modo noſtræ ſalutis cauſalitas, ſic Cruci Chriſti, & clavis ejus aliqua reverentia eſt exhibenda; & reſpectu iſtius honoris habet Crux in ſe aliquid, propter quod habet honorari. Honor autem adorationis offertur ipſi Cruci Chriſti ratione Crucifixi.* Hinc VII. Synodus Generalis Act. 7. ſtatuit, omnibus

bus ſacris imaginibus & Cruci non aliam, quam *honorariam*, adorationem impendi; ait enim: *Et ad honorariam his adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, impartiendam: ita ut iſtis ſicuti figuræ pretioſæ, ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis ſacris monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.*

Ergo ſalutationes quibus in Eccleſiaſtico Officio Crucem alloquimur, figuratæ dicendæ ſunt locutiones, in quibus habetur metonymia, qua Crux pro Crucifixo ſignificat; & habetur apoſtrophe, qua, uti perſonam quandam, rem inanimem compellamus. Quo in ſenſu exponendi ſunt verſiculi illi, aliique conſimiles:

O Crux ave ſpes unica,
Hoc paſſionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.

Dices. S. Thomas, ac S. Bonaventura non uno in loco aſſerunt, Chriſti Crucem adorandam eſſe, & quidem cultu latriæ, eodem nempe quo colitur Chriſtus.

Reſp. quod SS. Doctorum ſententia intelligenda ſit de eodem externo, ſive materiali, ut inquiunt, actu, quo Crux cum Chriſto, quem illa ſignificat, adoratur; ita tamen ut exterior actus ille, prout in Crucem, aut Chriſti imaginem fertur, ſit honoraria tantum adoratio; ſit vero latria, prout fertur in Chriſtum. Externus enim actus ſpeciem moris ab interno deſumit; internus autem ei reſpondens eſt duplex: Alter quo animus tendit in Crucem vel Crucifixi imaginem, tanquam ſignum; & actum illum ado-

adorationem honorariam appellamus: alter quo Chriſtum reſpicit, & hic tantum eſt verus ac proprius actus latriæ. Ita eodem quidem externo, non interno cultu Rex cum ſuo veſtimento dicitur honorari; quo exemplo Scholaſtici hac in re paſſim utuntur.

Et quod ad S. Thomam attinet, mens ejus obſcura eſſe non poteſt. Scribens enim ille in c. 11. ad Hebr. Lect. 5. ait, Jacob adoraſſe veſtigium virgæ Joſeph, *quia adoravit Chriſtum ſignificatum per virgam illam; ſicut & nos adoramus Crucifixum, & Crucem ratione Chriſti paſſi in ipſa. Unde proprie non adoramus Crucem, ſed Chriſtum crucifixum in ipſa.* Et Lect. 1. in c. 3. ad Coloſſenſes inquit: *Idololatria eſt, quando quis exhibet alicui imagini honorem debitum Deo.*

Eodem etiam in ſenſu Seraph. Doctorem locutum eſſe, dum ait, Crucem Chriſti, vel ejus imaginem adorandam eſſe latria, dubitari non poteſt, ſi attendantur, quæ mox ſupra ex ipſo retulimus, quæque exſcripſimus in hujuſce libri c. 2. ad 2. argumentum.

Poſtremo hic duo notamus; primum, quod ratione contactus membrorum Chriſti non ſolum Crux, in qua Salvator pependit; verum & clavi, lancea, præſepe, ſepulcrum, veſtes, atque hiſce ſimilia ſacro cultu proſequimur. Quanquam hæc non ita nobis Chriſtum repræſentent, quomodo Crux ejus, quæ peculiari titulo Matth. 24. ſignum filii hominis appellatur. *Et inde eſt*, ait S. Thomas in p. 3. q. 25. a. 4. ad 3., *quod Crucem Chriſti veneramur in quacunque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcunque hujuſmodi.*

Se-

Secundum, quod licet ejuſdem generis cultu cum vera Chriſti Cruce veneranda ſit Crucis effigies, ex quacunque materia ſit conflata, non tamen eadem penitus ratione. Nam lignum Crucis contactu ſanguinis & corporis Chriſti ſanctificatum taliter veneramur, ut etiam deſtructa figura, materiam ejus in minutiſſimas partes diviſam ſummo honore colamus; effigiem vero ratione repræſentationis tantummodo veneremur.

CAPUT V.

Quod Sanctorum corpora, & reliquias non immerito veneremur.

QUinto Eccleſiæ ſeculo inchoante, Vigilantius natione Gallus, Barchinonenſis Eccleſiæ Presbyter, cultum Martyrum reliquiis exhibitum improbavit, cenſuitque cereos in illorum Memoriis accendi non poſſe. Eidem hæſerunt errori Conſtantinus Copronymus Imperator, & Claudius Taurinenſis Epiſcopus, necnon Wiclefitæ, ſi fidem adhibeas Thomæ Waldenſi in tomo 3. tit. 14. Quibus addendi ſunt Lutherani, & Calviniſtæ, veterum hæreſum novatores.

Propoſitio. Licitum ac utile eſt, Sanctorum corporibus, & reliquiis religioſum cultum impendere.

Probatur. Moyſes de Ægypto egrediens honorifice ſecum Joſephi oſſa portavit, ut legi-

gitur Exodi 13. v. 19. Et Deus ipſe per Angelos voluit corpus Moyſis ſepeliri: lege Deut. c. ult. v. 6. Item tactu pallii Eliæ Jordanis aquæ ſcinduntur, 4. Regum 2. v. 8. & 15. Et ibidem c. 13. v. 21. attactu oſſium Eliſei mortuos revocatur ad vitam. Iſaias denique c. 11. v. 10. Chriſti ſepulcrum glorioſum fore prænunciat, uti poſtmodum probavit eventus.

In novo etiam Teſtamento Hæmorrhoiſſa fimbriam veſtimenti Chriſti tangens a ſanguinis fluxu ſanatur, Matth. 9. v. 20. Actorum 19. v. 12. cum ſuper languidos a corpore Pauli ſudaria, & ſemicinctia deferrentur, *recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Tandem Act. 5. v. 15. in plateas ejiciebant infirmos, *ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmatibus ſuis*. Licet igitur Sanctorum corpora ac reliquias honorare, ſi Deus per eorum vel umbras & ſudaria credentium devotionem probavit, firmavitque miraculis.

Idem quoque dogma SS. Patrum traditione munitur. Unde Cyrillus Hieroſolym. in Catech. 18. ſcribit, *abſente etiam anima, ineſſe vim quandam, ac poteſtatem corpori Sanctorum, propter animam juſtam, quæ tot annos in eo inhabitaverit, ejuſque uſa ſit miniſterio*: indeque ſubjungit: *Si enim ſudaria, & ſemicinctia, quæ exterius adhærent, ægrotantium corporibus applicata infirmos erigebant, quanto magis ipſum Prophetæ*, Eliſei nempe, *corpus, mortuum excitavit?*

Et Nazianzenus Orat. 1. in Julianum perſtringit Apoſtatam, quod contempſerit magnos Chriſti pugiles, Petrum, Paulum, Andream, alio-

alioſque, *quibus præclari bonores, & feſta conſtituta ſunt; a quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur; quorum apparitiones, & prædictiones: quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ, ſive tangantur, ſive bonorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt quod corpora?*

Ex Latinis vero Hieronymus contra Vigilantium catholicam fidem ex profeſſo tuetur. Ambroſius in epiſt. 85. de inventione corporum SS. Gervaſii, & Protaſii ait: *Condamus ergo reliquias ſacroſanctas, & dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.* Etiam Auguſtinus in lib. 9 Confeſſ. c. 7. miracula narrat, quæ in eorumdem Martyrum translatione Mediolani patrata ſunt, & quorum oculatum ſe teſtem fuiſſe fatetur.

Denique Smyrnenſis Eccleſia in Epiſt. de martyrio S. Polycarpi apud Euſebium in lib. 4. hiſt. c. 15. ait: *Nos oſſa illius gemmis pretioſiſſimis chariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus.*

Idem inſuper Euſebius in lib. 7. c. 19. de Cathedra, in qua S. Jacobus Minor Hieroſolymis ſedit, ita ſcribit: *Ad noſtra uſque tempora conſervatam Fratres illius Eccleſiæ jam inde a Majoribus magna proſequuntur reverentia, ſatis perſpicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum noſtri temporis Chriſtiani Viros ſanctos ob ipſorum erga Deum amorem, debito ſemper honore venerati ſunt, & hactenus venerantur.*

Subjungenda poſtremo eſt evidens ratio, quam Doctor Angel. adfert in p. 3. q. 25. a. 6. inquiens: „ Sicut Auguſtinus dicit in lib. 1. de C.

„ D.

„ D. c. 13. *Si paterna veſtis, & annulus, ac*
„ *ſi quid eſt hujuſmodi, tanto carius eſt poſte-*
„ *ris, quanto erga parentes eſt major affectus,*
„ *nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ*
„ *utique multo familiarius, atque conjunctius,*
„ *quam quælibet indumenta, geſtamus; hæc enim*
„ *ad ipſam naturam hominis pertinent.* Ex quo
„ patet, quod qui habet affectum ad aliquem,
„ etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relin-
„ quuntur, veneratur, non ſolum corpus, aut
„ partes corporis ejus, ſed etiam aliqua exte-
„ riora, puta veſtes, & ſimilia. Manifeſtum
„ eſt autem, quod Sanctos Dei in veneratione
„ habere debemus, tanquam membra Chriſti,
„ Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſo-
„ res. Et ideo eorum reliquias qualeſcunque
„ honore congruo in eorum memoriam vene-
„ rari debemus, & præcipue eorum corpora,
„ quæ fuerunt templa, & organa Spiritus San-
„ cti in eis habitantis, & operantis, & ſunt
„ corpori Chriſti configuranda per glorioſam
„ reſurrectionem. Unde & ipſe Deus hujuſmo-
„ di reliquias convenienter honorat, in earum
„ præſentia miracula faciendo.

Objicies 1. Uti patet ex Deut. c. 34. v. 6. voluit Deus, ut ſepulcrum Moſis uſque in præſentem diem maneret incognitum, non alia profecto ex cauſa, quam ne Judæi mortuum adorarent.

Chriſtus etiam Matth. 23. v. 29. ait: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.* Cultum ergo Sanctorum corporibus ac ſepulcris impendere omnino non licet.

Reſp. ad 1. quod Deus Moſis ſepulcrum incognitum

tum idcirco voluerit, ne Judæi ad idololatriam tunc procliviores, tam admirabili Viro divinos deferrent honores, ejuſque corpus pro numine adorarent. Quod etiam in cauſa fuit, ut Michael Archangelus cum diabolo de Moyſi corpore altercaretur; ut legitur in epiſt. Judæ v. 9. Volebat enim iſte Moyſis revelare ſepulcrum, ut Iſraelitas in idololatriam alliceret: Michael vero, ne id contingeret, voluit occultari.

Ad aliud. Redarguuntur Scribæ, & Phariſæi non quia Juſtorum ſepulcra ornarent, ſed quia per id vulgi favorem, ac gloriam captare vellent; eoque affecti eſſent animo, ut exemplo patrum ſuorum, qui Prophetas Juſtoſque necarunt, ipſi etiam Apoſtolos, & Chriſtum occiderint.

Objicies 2. Reliquiarum cultus ſuperſtitione non vacat. Illas enim Papiſtæ deoſculantur, ſuper altare reponunt, plurimaſque coram eis, ſicut & in Martyrum ſepulcris, faces accendunt; pari nempe modo, quo Chriſtum ipſum adorant. Id cum Hieronymo Vigilantius objectaret, non aliud novit ille reponere, quam a mulierculis hoc ſolummodo factitari, quæ non ſecundum ſcientiam zelum habent. Ac propterea Eliberitana Synodus can. 34. pronunciat, ejuſcemodi cereis Sanctorum ſpiritus inquietari. Denique S. Auguſtinus in lib. 1. de moribus Eccleſiæ c. 34. in ſepulcrorum adoratores invehitur.

Reſp. quod dum Sanctorum reliquias ſuper altare reponimus, & coram eis faces accendimus, non ſacrificium ſoli Deo debitum eiſdem offerimus; ſed ſignum lætitiæ edimus, & glorioſi eorum certaminis memoriam celebramus, gratias agentes Deo, qui Electos ſuos ſempi-

terna gloria coronavit. Unde Hieronymus in epiſt. ad Riparium: *Honoramus reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* Ita dum eaſdem reliquias oſculamur, ac Martyrum ſepulcra debito honore proſequimur, propter Chriſtum illos colimus, cujus ipſi diſcipuli fuerunt & teſtes; adeoque non æquali cultu Chriſtum, ac ejus Martyres veneramur.

Hieronymus autem etſi eos vellicet, qui cereos coram reliquiis accendebant, exiſtimantes per id Martyres illuſtrari; non tamen uſum improbat cereorum, qui in ſignum lætitiæ honoriſque reſplendeant. In lib. enim contra Vigilantium ait: *Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo*, Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. &c.

Concilium Eliberitanum de facibus loquitur, quas quidam Chriſtiani more gentilium, inter quos tunc verſabantur, in cœmeteriis accendebant. Auguſtinus denique contra eos agit, *qui luxurioſiſſime ſuper mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliunt, & voracitates ebrietateſque ſuas deputant religioni.*

Hæc itaque nobis immerito ac perperam opponuntur. Non enim quorumcunque ſepulcra, ſed Sanctorum ſolummodo veneramur, non in co-

comeſſationibus & ebrietatibus, ſed pietate ac devotione colendo Deum, eumque rogando, ut nos Sanctorum ſuorum gloriæ conſociare dignetur.

Objicies 3. Maxima reliquiarum pars ſuppoſititia eſt, ac ſæpe contingit, ut pro Sanctorum reliquiis latronum, vel canum, vel etiam aſinorum oſſa colantur. Hinc Auguſtinus in lib. de opere Monachorum c. 28. cum dixiſſet, quod vagi quidam & otioſi ſub habitu Monachorum reliquias Martyrum venditarent, adjunxit: *Si tamen Martyrum*. Quod ſi extunc fraudes circa Martyrum reliquias fiebant, quid modo contigiſſe putandum eſt? Hinc idem Sancti alicujus corpus, eademque membra in diverſis Mundi partibus non ſine evidenti dolo venerari quandoque conſpicimus, uti corpus S. Bartholomæi, caput S. Joannis Baptiſtæ &c.

Reſp. quod Eccleſia ſummam ſemper curam adhibuit, ne hac in re fraus ulla contingeret, ac præcipue poſt Concilii Lateranenſis IV. Decretum c. 63. quo cavetur, ne reliquias de novo inventas publice quis venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Tridentina etiam Synodus ſeſſ. 25. prohibuit, ne reliquiæ publice exponantur, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo; præcepitque, ut in dubio, quod per examen tolli non poſſit, Sedes Apoſtolica conſulatur.

Auguſtinus autem merito dubitavit, num reliquiæ illæ vere Martyrum eſſent, cum eas privati homines ſub ementito Monachi habitu, & turpis lucri gratia circumferrent. Nos vero de reliquiis loquimur, quæ certam fidem habent, & in Templis publice conſervantur.

Ceterum etſi falſas quis reliquias pro veris venditare præſumeret, non idcirco reliquiarum cultus generaliter eſſet abjiciendus; ſicuti ſcilicet neque monetarum uſus abjicitur, ex quo nonnulli adulterinas excudere monetas.

Poſtremo ut fidelium pietati ſatis interdum fieret, Sanctorum diviſa ſunt corpora; indeque contingit, ut ſumpta parte pro toto, corpus, vel caput, vel aliud ejuſdem Sancti membrum pluribus in locis ſervari dicatur. Sicuti S. Baſilius orat. in 40. Martyres ait: *Non uno in loco ſeſe clauſerunt; ſed multis in locis hoſpitio recepti, multorum patrias ornaverunt.* Interdum etiam contingere potuit, ut plures Sancti idem nomen habuerint, eorumque reliquiæ ſuccedente tempore propter nominis ambiguitatem fuerint attributæ uni eidemque perſonæ, quæ majoris gratiæ ac ſanctitatis fuiſſe cenſetur. Id aliqui accidiſſe putant capiti S. Joannis Baptiſtæ, quod pluribus in locis perhibent aſſervari. Hic tamen aliuſque conſimilis error non circa ſubſtantiam, ſed circa conditionem rei adoratæ verſatur. Satis eſt enim, ut ſine culpabili errore ſit certum, illas eſſe alicujus Sancti reliquias: & moralis certitudo, quam quis habet de veritate reliquiæ; ſufficit ad illam religioſe colendam: nam oratio ad animam Sancti præcipue dirigitur, ac reliquiæ ſolummodo *relative* coluntur, ſi de cultu proprie dicto, & de rigoroſa adoratione loquamur: uti evidentius apparebit ex iis, quæ de ſacrarum imaginum cultu mox infra dicemus.

CA-

CAPUT VI.

De uſu, cultuque ſacrarum imaginum.

JUdæi in ſuo Thalmud Chriſtianorum Eccleſias propter imagines quæ in illis erant, idololatriæ domos appellandas eſſe putarunt. Mahometes etiam in Alcorano prohibuit, ne ſectæ ſuæ alumni in templis imagines collocarent; quod Mahometani ad hæc uſque tempora ſervant, & Chriſtianos qui ſecus faciunt, uti idololatras inſimulant.

Ex Chriſtianis autem nemo in ſacras imagines majori debacchatus eſt æſtu, quam Leo Iſauricus Imperator, qui VIII. ſeculo a Judæis incitatus imagines omnes ab Eccleſiis ejici comburique præcepit. Patris impietatem imitatus eſt ſuperavitque Conſtantinus Copronymus, qui non ſacras tantum imagines, ſed & reliquias tradendas igni decrevit. Eundem fovit errorem Leo Armenus Copronymi filius, eidemque impietate ſimillimus.

Ad horum caſtra acceſſerunt quotquot deinceps in Sanctorum imagines, & reliquias ſacrilego auſu conflixerunt; Wicleſitæ videlicet, & Waldenſes, Huſſitæ, Lutherani, & Calviniſtæ, quos, quia impugnarunt imagines, Iconoclaſtas, & Iconomachos appellarunt. Ut vero majori qua fieri poteſt, claritate nefariam hæreſim refutemus, plures hic theſes & argumenta ſubnectimus. Eſto itaque

 Pro-

Propoſitio I. Non eſt illicitum ſtatuas, & imagines efformare.

Probatur. Deus Exodi 25. v. 18. Moyſi ita præcepit: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi*. Et ibidem c. 31. & 35. dicit Deus, ſe ad hunc effectum, ſicut ad omne conflatile faciendum ex auro, & argento, ſapientiam dediſſe Beſeleel filio Uri, & Ooliab filio Achiſamech, aliiſque nonnullis. Atqui ejuſcemodi ſapientiam non dediſſet Deus, ſi omnem ſtatuam & imaginem penitus vetuiſſet. Hinc & Num. 21. v. 8. locutus eſt Dominus ad Moyſen: *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. &c.*

Salomon quoque, ut legitur in 3. Regum c. 6. v. 23. *fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum:* & v. 35. *ſculpſit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes. &c.* Et cap. 7. v. 23. *Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum;* deinde v. 25. *Stabat ſuper duodecim boves* &c. denique v. 29. *Inter coronulas, & plectas, leones, & boves, & Cherubim*. Non ergo vetitum dici poteſt imagines formare vel ſtatuas.

At dices: Exodi c. 20. v. 4. ait Dominus: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra*. Hac auctoritate permoti Catholici etiam nonnulli dixerunt, Judæis omnem prorſus ſculpturam, atque imaginem poſitivo ac cæremoniali præcepto fuiſſe prohibitam. Alii vero putarunt, vetitum fuiſſe uſum earum ſaltem imaginum, quæ per ſe ſtarent, hoc eſt, quæ aliarum velut appendices & ornamenta non eſſent.

Sed bene adnotat S. Thomas in p. 3. q. 25.

a. 3.

a. 3. ad 1. „ quod non prohibetur illo præcepto
„ facere quamcumque ſculpturam, vel ſimilitu-
„ dinem, ſed facere ad adorandum; unde ſub-
„ dit v. 5. *Non adorabis ea, neque coles*. Et
„ quia idem eſt motus in imaginem & in rem,
„ eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo
„ prohibetur adoratio rei, cujus eſt imago.
„ Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio ima-
„ ginum, quas Gentiles faciebant in veneratio-
„ nem deorum ſuorum, id eſt dæmonum: &
„ ideo præmittitur v. 3. *Non habebis deos alie-*
„ *nos coram me*. " Scribit etiam Auguſtinus q.
71. in Exodum, per verba illa, *Non facies ti-*
bi ſculptile &c. perfectius præcedentia explica-
ri, ac prohiberi *colenda figmenta*.

Oppoſita inſuper opinio refutatur ex eo, quod 1. Regum c. 19. v. 13. legitur, Michol uxorem Davidis poſuiſſe ſtatuam hominis ſuper lectum, eamque caprarum pelle texiſſe: ergo vel in ipſa Davidis innocentis & juſti domo ſimulacra non deerant. De imaginibus inſuper Mariamnis, & Ariſtobuli lege Joſephum in lib. 15. Antiq. c. 2.

Deinde ſicli a Judæis procuſi ante captivitatem ſculptum habent ex una parte vaſculum, ex altera virgam floreſcentem; ut Eruditi notarunt. De nummis vero in uſu habitis ætate Chriſti conſtat ex Matth. c. 22. v. 19. quod Cæſaris imaginem ſculptam habuerint. Eos autem Judæi ſi lege interdictos agnoviſſent, nec manu tractaſſent, cum præcepta ſua rigidiſſime obſervarent.

Ergo cum Deus imagines ſtatuaſque vetuerit adorationis tantum & idololatriæ cauſa, profecto jam patet, quod arbitrario diſtinguantur

imagines rerum per ſe ſtantium ab imaginibus rerum, quæ in ornatum aliis adjacerent. Sed dicendum eſt potius, licitas eas omnes fuiſſe, niſi adorationis, & idololatriæ periculum immineret; ſicut & in Levitico legitur c. 26. v. 1. *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. Et ſane licet ornatus illi ad cultum accommodati non fuiſſe dicantur, ſuperſtitioſam tamen Judæorum plebem ad idololatriam facile induxiſſent: ergo aut omnem, aut nullam Judæis imaginem vetitam a Deo fuiſſe putandum eſt.

Concedendum eſt autem, quod etſi imagines illicitæ vetitæque non fuerint; Judæi tamen poſterioribus maxime ſæculis, infirmitatis ſuæ conſcii, ut remotiores ab omni idololatriæ periculo eſſent, omnem imaginum uſum ſibi ultro interdixiſſe videntur: & hoc eſt, quod Philo in legat. ad Cajum, Joſephus lib. 16. Antiq. c. 11. & alibi, Origenes lib. 4. contra Celſum, aliique paſſim inſinuant, illicitum fuiſſe Judæis imagines habere vel ſtatuas; illicitum, inquam, non lege naturali, aut poſitiva Dei, ſed proprio decreto, & Majorum traditione ubique recepta.

Nihil igitur ex adducto textu erui poteſt contra uſum vel cultum imaginum inter Chriſtianos, qui ab idololatriæ periculo ſunt remoti, neque Judaicis traditionibus adſtringuntur, aut cæremonialibus eorumdem legibus; cujuſmodi ad ſummum eſſet lex illa divina poſitiva, ſi qua aliquando fuiſſet, per quam imaginum uſum Judæis eſſet inhibitus.

Propoſitio 2. Licet in templis Sacras imagines collocare. Eſt præſertim contra Calvinum.

Pro-

Probatur. In veteri lege, quando Judæi ad idololatriam maxime proni erant, imagines Cherubim in templo fuiſſe refertur Exodi c. 25. & lib. 3. Regum c. *6.*

Deinde, qui primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt. ſacras imagines in Baſilicis collocarunt. Narrat enim Tertullianus in lib. de pudicitia c. 7. in ſacris calicibus pictum fuiſſe Chriſtum in forma Paſtoris, qui errantem ovem ſuis humeris ad ovile reduceret. Refert & Sozomenus in lib. 5. hiſt. c. 21. quod cum Juliano Apoſtata imperante Pagani ſtatuam Chriſti a Syrophœniſſa erectam confregiſſent, *poſtea Chriſtiani collectam in Eccleſia repoſuerunt, ubi etiam nunc ſervatur.* Lege etiam Euſebium in lib. 7. hiſt. c. 18. & in lib. 3. de vita Conſtantini c. 49.

Præterea Nyſſenus in orat. de S. Theodoro teſtatur, Baſilicam hujuſce Martyris exornatam fuiſſe picturis, quæ artificioſe certamina laboreſque ejus exprimerent; idque non ſine fructu factum fuiſſe teſtatur; nam, ut adjungit, *ſolet etiam pictura tacens, in pariete loqui, maximeque prodeſſe.* Tandem ne in referendis aliorum Patrum teſtimoniis ſuperfluo labore frangamur, adire poterunt Candidati Aſterium Amaſeæ Epiſcopum ſerm. in S. Euphemiam, Nazianzenum orat. 19. Prudentium in vita S. Caſſiani, Paulinum epiſt. 32. ad Severum, Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum c. 73. Gregorium M. epiſt. 13. alias 9. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum &c.

Jure itaque meritoque Nicænæ II. Synodi Patres ajunt Act. 7. „ His ſic ſe habentibus, re„ giam viam incedentes, & ſanctorum noſtro„ rum, ac divinorum Patrum doctrinæ inſiſten„ tes, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus

„ San-

„ Sanctus inhabitat, traditionem obſervantes; „ definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas & ſanctas imagines ad modum, & „ formam venerandæ, & vivificæ crucis e coloribus, & teſſellis, aut alia quavis materia „ commode paratas, dedicandas, & in templis „ ſanctis Dei collocandas, habendaſque: tum „ in ſacris vaſis, & veſtibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in viis „ publicis: maxime autem imaginem Domini, „ & Dei Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde „ intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde „ Sanctorum Virorum.

Hac denique in re notanda ſunt etiam, quæ Seraph. Doctor ait in 3. d. 9. a. 1. q. 2., nempe, „ quod imaginum introductio in Eccleſia non fuit „ abſque rationabili cauſa. Introductæ enim fuerunt propter triplicem cauſam; videlicet propter ſimplicium ruditatem, propter affectuum „ tarditatem, & propter memoriæ labilitatem. „ Propter ſimplicium ruditatem inventæ ſunt, ut „ ſimplices qui non poſſunt legere, in hujuſmodi „ ſculpturis, & picturis tanquam in ſcripturis apertius poſſint ſacramenta noſtræ fidei legere. Propter affectus tarditatem ſimiliter introductæ „ ſunt; videlicet, ut homines qui non excitantur „ ad devotionem in his quæ pro nobis Chriſtus „ geſſit, dum illa aure percipiunt; ſaltem excitentur, dum eadem in ſculpturis, & picturis tanquam præſentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noſter per „ ea quæ videt, quam per ea quæ audit. Unde Horatius in Arte poetica:

„ *Segnius irritant animos demiſſa per aures,*

„ *Quam*

„ *Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus &c.*
„ Propter memoriæ labilitatem, quia ea quæ „ audiuntur ſolum, facilius traduntur oblivioni, „ quam ea quæ videntur. Frequenter enim ve„ rificatur in multis illud, quod conſuevit dici: „ Verbum intrat per unam aurem, & exit per „ aliam. Præterea non ſemper eſt præſto, qui „ beneficia nobis præſtita ad memoriam redu„ cat per verba; ideo diſpenſatione Dei factum „ eſt, ut imagines fierent, præcipue in Eccle„ ſiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis „ nobis impenſis, & Sanctorum operibus vir„ tuoſis. “ Similia reperies etiam apud Synodum Tridentinam in ſeſſ. 25. de ſacris imaginibus.

At objicies cum Calvino. Concilium Eliberitanum can. 36. ait: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.*

Deinde S. Epiphanius in epiſt. ad Joannem Hieroſol. ait, quod cum vidiſſet in quadam Eccleſia, *contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem*, ejuſdem imaginis velum *ſcidit*, conſuluitque illius loci cuſtodibus, ut *pauperem mortuum eo obvolverent*. Loquitur autem ibi de *Chriſti vel Sancti cujuſdam* imagine, uti ex contextu apparet.

Reſp. ad 1. quod Concilium minime vetat, quin depictæ aut in tabulis, aut in velis imagines in Eccleſia collocentur; ſed tantum prohibet, ne illæ *in parietibus depingantur*. Sæviebat enim eo adhuc tempore perſecutio; proindeque ſacræ imagines, quæ in parietibus pictæ a Chriſtianis aſportari non poterant, ab Ethnicis templa invadentibus ludibrio habebantur.

Alia inſuper eſſe potuit decreti illius ratio; quia nimirum depictæ in parietibus imagines humiditate loci facile deformantur, dejectiſque muri cruſtis venerabilem formam amittunt.

Poſtremo per tria priora ſecula non adeo frequens fuit imaginum uſus; idque œconomiæ cauſa ab Eccleſia factum eſt; ne ſcilicet Judæi qui imagines averſabantur, & Gentiles qui idolorum ſervierant ſimulacris, ſcandali inde offenſioniſque occaſionem haberent. Cum igitur Eliberitana Synodus celebrata fuerit tertio ſeculo, nil profecto mirandum, ſi decretum illud ediderit.

Ad 2. multiplex etiam reſponſio eſt; breviter autem reponentes aſſerimus, quod vel Epiphanii factum in citata epiſtola recenſitum eſt apocryphum, & ab Iconomacho quodam intruſum; uti Bellarminus, Baronius, aliique CL. Viri putarunt: vel ſi Epiphanio revera tribuendum eſt, aſſertioni noſtræ non obſtat. Uti enim ex contextu deducitur, imago in velo depicta adeo indecens erat, ut apparere non poſſet, num Chriſti eſſet, vel Sancti cujuſdam hominis, vel profani. Epiphanius itaque Epiſcopali zelo ſuccenſus, ejuſmodi diſcidit imaginem; quod etiam ex Concilii Tridentini mandato facere tenentur Epiſcopi, ſi forte in ſuæ Diœceſis Eccleſia imaginem aliquam inſolitam, minuſque decoram invenerint.

Dices ulterius. Saltem Dei, & Trinitatis imagines pingere, & in templis collocare non licet. Eſt enim Deus incorporeæ infinitæque naturæ. Unde S. Auguſtinus in lib. de fide & ſymbolo c. 7. monet, *cavendum, ne Deum putemus habere corporalia membra, & ne in illud incidamus ſacrilegium, quo execratur Apoſtolus*

eos,

eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Tale enim ſimulacrum Dei nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

Reſp. omnino licere Dei figuram effingere, non quæ ejus eſſentiam repræſentet, ſed quæ formas ſenſibiles exprimat, ſub quibus apparuiſſe in S. Scriptura deſcribitur. Ita de Adam & Heva Gen. 3. v. 8. legitur, quod *cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem &c.* Ubi ſane vox Dei ſenſibilis, & deambulatio quaſi hominis indicatur. Item Gen. 28. v. 13. de Jacob habetur: *Vidit Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham.* Daniel quoque c. 7. v. 9. vidit Dominum in throno ſedentem, tanquam antiquum dierum: *veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda.* Denique ne ſingula percurramus, Matth. 3. v. 16. Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum *ſicut columba* deſcendit, & Act. 2. v. 3. Apoſtolis in igneis linguis apparuit.

Quod ſi ſacris Scriptoribus ac Prophetis Deum licuit ſub corporalibus formis, ſub quibus ſe ille videndum exhibuit, interius mente concipere, & exterius etiam calamo verboque deſcribere; cur non licere dicemus eum ſub eiſdem formis in tabula deſignare, & adumbrare coloribus? Et ſane tam ſcriptura, quam pictura, rei geſtæ ſunt ſignum, eandemque commemorant.

Verum eſt equidem, Dei & Trinitatis imagines in frequenti uſu primis Eccleſiæ ſeculis non fuiſſe; at id prudentis œconomiæ cauſa factum eſt, ne vel recens ab idololatria converſi ſpi-

ſpiritualem ac incircumſcriptam Dei naturam talem eſſe putarent, qualem coloribus picturatam aſpicerent; vel ne Gentiles calumniandi occaſionem haberent, quaſi Chriſtiani Deum corporeum adorarent. At procedente tempore, & Chriſtianis probe inſtructis, quod ejuſcemodi imaginibus non ipſa Dei natura, ſed Dei dumtaxat ſymbolum exprimatur, ſemotoque calumniandi periculo, uſus imaginibus exprimendi Deum communis ac frequens in Eccleſia eſſe cœpit; proindeque cum a multis ſæculis ſit receptus, credendus eſt licitus; alioquin illum nec toleraſſet Eccleſia, nec probaſſet. Hinc Synodus Tridentina in ſeſſ. 25. nos admonet, *quod ſi aliquando hiſtorias, & narrationes ſacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit.*

Auguſtinus denique citato in libro dumtaxat affirmat, nefas eſſe Chriſtiano in templo locare ſimulacrum, quod ita Deum Patrem exprimeret, quaſi revera dexterum aut ſiniſtrum latus haberet, flexoſque poplites ad ſedendum: non vero reprehendit imaginem, per quam dexteræ & ſeſſionis nomine exprimatur æqualitas, quam Filius cum Patre poſſidet in regno felicitatis æternæ.

Ex dictis apparet, quod poſſint & Angeli per imagines illas formaſque depingi, per quas ſe in V. T. viſibiles præbuerunt, eiſque adduntur alæ, ut ſumma exprimatur agilitas, & quia volantes in ſacris paginis deſcribuntur.

Propoſitio 3. Sacræ imagines religioſo cultu ſunt venerandæ.

Et

Et præter ea quæ ſuperius dicta ſunt, huc accidit, quod Patriarchæ, aliique ſancti homines formas illas, in quibus vel Deus, vel Angeli apparuerunt, religioſo honore coluerint; uti Gen. 18. v. 2. Abraham tres viros ſibi in Mambre apparentes, *adoravit in terram*, ſive illi SS. Trinitatem, ſive Angelos adumbrarent. Item Gen. 19. v. 1. Lot duos Angelos Sodomam venientes ſub humana figura *adoravit pronus in terram*. Idem quoque fecit Joſue c. 5. v. 15. cum eum, qui ſibi ſub viri ſpecie loquebatur, Angelum eſſe cognovit. Denique Daniel c. 10. v. 9. virum, quem vidit veſtitum lineis, Dei ſcilicet Angelum, jacens conſternatus ſuper faciem ſuam, loquentem audivit. Modo Sancti illi homines etſi certo cognoſcerent, quod ejuſcemodi figuræ vel ſpecies non erant ipſe Deus, vel ipſi Angeli, ſed eorum dumtaxat imagines, ſigna, vel ſymbola; agnoſcentes tamen in eis Deum vel Angelos, non civilem dumtaxat cultum, ſed religioſum eiſdem imaginibus impenderunt: ergo licebit & nobis eandem cultus ſpeciem ſculptis pictiſque Dei, & Angelorum, ſanctorumque hominum imaginibus exhibere.

Deinde Scriptura nos docet, quod Deus eos ſevere punierit, qui minus reverenter Arcam aſpicere aut tractare ſunt auſi. Ita ex lib. 1. Regum c. 6. v. 19. percuſſit Bethſamitas, percuſſitque Oza 2. Regum 6. v. 11. Eos autem qui Arcam honorifice receperunt, benedictionibus cumulavit; ſicuti benedixiſſe Obededom & Davidi refertur in 2. Regum c. 6. proindeque reverentiam, vel irreverentiam Arcæ exhibitam, ut ſibi exhibitam Deus accepit; & tamen illa me-

merum erat ſignum divinæ præſentiæ, neque Dei naturam exprimebat, ſed majeſtatem ejus dumtaxat per ſymbolum figurabat. Idem ergo de ſacris imaginibus dicendum eſt; præſertim cum earum quædam Chriſtum ſanctoſque homines non in figura dumtaxat, ſed in natura propria repræſentent.

His adde, quod Deus miracula plura patraverit, eos puniendo qui ſacras imagines deſpexerunt, beneficia autem largiendo eis, qui illas debito proſecuti ſunt cultu: ejuſcemodi vero miracula tum in aliis Veterum monumentis, tum in VII. Generali Synodo Act, 5. & 6. leguntur. Atqui Deus in erroris confirmationem miracula patrare non poteſt. Dicendum eſt igitur, quod honor ſacris imaginibus delatus a Deo probetur, reprobetur autem earumdem ab ipſo contemptus.

Præterea Regis imaginem ob ipſam regiam dignitatem quam repræſentat, civili honore proſequimur. Ut enim Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 10. ait: *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori utique, cujus ſtatuam conſputaverit, feciſſe videtur injuriam*. Ergo ſimiliter religioſo honore colendæ ſunt Sanctorum imagines ob ſupernaturales eorum virtutes, quæ in imaginibus exprimuntur. Hinc Auguſtinus in lib. 3. de Trin. c. 10. loquens de ſacris ſignis, cujuſmodi ſunt imagines, literæ, & ſacramenta, inquit: *Sed quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt*.

Objicies 1. Irenæus in lib. 1. c. 24. inter alios Car-

Carpocratis errores, hunc quoque recenſet; quod depictas Chriſti, & Pauli imagines haberent, & colerent. Epiphanius hæreſi 79. hæreticos eſſe ſcribit, qui imaginem B. Mariæ Virginis circumferunt, & honorant. Hieronymus in c.3. Dan. ait, quod Cultores Dei, imagines adorare non debeant. Auguſtinus in lib. 1. de moribus Eccleſiæ c. 34. redarguit picturarum adoratores. Denique Gregorius M. in duabus ad Serenum epiſtolis admittit quidem imagines ad hiſtoriam populique doctrinam, non tamen ad adorationem & cultum.

Reſp. quod Irenæus Carpocratem idcirco redarguat, quia Chriſti & Pauli imagines coleret eo modo, quò Gentes idola colunt, ſacrificia ſcilicet offerendo, & quia eaſdem ſimul cum imaginibus Homeri, Platonis, Pythagoræ, & Ariſtotelis adoraret; uti clarius explicant Auguſtinus hær. 7. & Epiphanius hær. 27.

Epiphanius in citato loco redarguit Collyridianos, non quod B. Virginem, ejuſque imaginem honorarent, ſed quia ſacrificium illi offerrent, ac pro Dea eandem haberent.

Hieronymus dumtaxat intendit, quod cultores Dei imagines Regum, tanquam Deos, adorare non debeant; ſicuti tres pueri Babylonicam ſtatuam divinis honoribus colere recuſarunt.

Auguſtinus contra eos loquitur, qui ſuperſtitioſo gentilium more ad quorumcunque hominum tumulos, ac picturas, feſta conviviis, aliiſque lætitiæ ſignificationibus celebrabant.

Gregorius in epiſtolis ad Serenum non abſolute vetat imagines venerari, ſed eas adorare prohibet eo cultu, quo Deus, vel divinum aliquid adoratur. Improbat enim Sereni factum,

quod ſacras imagines ab Eccleſia propter abuſum quemdam ejecerit, eaſdemque confregerit; probat vero quod ad imaginum conſpectum fidelis populus caput inclinet, genua flectat, in humum procumbat, & ad compunctionem ſalubriter excitetur. Atqui in ejuſmodi exterioribus actibus, qui ad prototypum coram imaginibus terminantur, conſiſtit cultus, quem eiſdem deferre debemus. Lege S. Doctorem in epiſt. 54. ad Secundinum.

Objicies 2. Francofordienſe Concilium Synodum VII. reprobavit, quod cultum imaginum decreviſſet. Ita enim Canone 2. ait: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus ſanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt atque conſentientes condemnaverunt*. Hujuſce vero Concilii magna auctoritas eſt, quod ſibi conſentientes habuerit Epiſcopos univerſi regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præſente Carolo Magno Rege, atque Hadriani Papæ Legatis; uti ex ejuſdem Concilii actis apparet. Neque obſtat, quod laudati Patres Nicænam II. Synodum appellaverint Conſtantinopolitanam; id enim ex eo accidit, quod eadem Synodus primum Conſtantinopoli coacta fuerit, indeque Nicæam translata.

Reſp. Francofordienſe Concilium non damnaſſe decretum Nicænæ II. Synodi de cultu imaginum, ſed improbaſſe dumtaxat Conſtantini Conſtantiæ Epiſcopi ſententiam quam in ſeſſ. 3. protulit, quamque Francofordienſes Patres

tres uti ipſiuſmet Synodi ſententiam habuerunt, quia ei Nicæna Synodus in eadem ſeſſione minime reſtitiſſet.

Et ratio quidem eſt 1. quia Nicæna Synodus in definitione fidei, honorariam venerationem quam imaginibus deferendam eſſe decernit, aperte diſtinguit a cultu latriæ, quæ ſoli Deo debetur: ait enim: *Quanto frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui eas contemplantur., alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam naturam divinam decet, impertiendam.*

Ratio eſt 2. quia verba illa quæ damnat ſecundus canon Francofordienſis Concilii: *Ut qui imaginibus ſanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium aut adorationem non impenderent*, in actis Nicæni Concilii non leguntur, niſi in 3. ſeſſione, in qua Conſtantinum Conſtantiæ Epiſcopum hiſce verbis ſuam protuliſſe ſententiam, ex infideli interpretatione aſſerit Auctor librorum Carolinorum, quam Concilium Francofordienſe præ manibus habuit: *Suſcipio & amplector, honorabiliter ſanctas & venerabiles imagines, atque ſecundum ſervitium adorationis, quam ſubſtantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Falſo autem id Auctor librorum Carolinorum aſſeruit; ſuam enim ſententiam Conſtantinus his dumtaxat verbis expreſſerat: *His conſentio, & concors efficior, ſuſcipiens & amplectens honorabiles ſanctas & venerabiles imagines: atque adorationem, quæ per latriam, id eſt, Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali*

li & vivificæ Trinitati impendo.

Ex dictis itaque patet, Francofordienſes Patres errore facti Nicænam II. Synodum proſcripſiſſe, quam pro Œcumenica non adhuc habebant, tum quia maxima Occidentalis Eccleſiæ pars nondum ei conſenſerat, tum quia nondum ab Hadriano publice fuerat confirmata.

Objectant hic etiam Novatores auctoritatem librorum, qui *Carolini* vulgo dicuntur, in quibus omnis ſanctarum imaginum cultus in II. Nicæna Synodo aſſertus evertitur.

Sed reponendum eſt 1., libros illos a Carolo Magno, aut ejus juſſu editos non fuiſſe, ſed opus eſſe cujuſdam hæretici, quod cum Carolo fuiſſet oblatum, ab eodem miſſum eſt ad Hadrianum I., qui illud refellit, cultumque imaginum confirmavit. Ita cum Bellarmino nonnulli reſpondent.

2. Addi poteſt, quod etſi libri aut Caroli opus ſint, aut ſaltem ab eo probati; nihil tamen ex ipſis contra imaginum cultum eruitur. Sicut enim de Francofordienſi Concilio diximus, ita & de illorum librorum Auctore dicendum eſt, quod Nicænam Synodum errore facti rejecerit; cum putaret, a Nicænis Patribus eundem prorſus latriæ cultum pro ſacris imaginibus fuiſſe decretum, qui Deo ac vivificæ Trinitati defertur. Cujus quidem perſuaſionis occaſio extitit, tum prava translatio Actorum Concilii in idioma latinum quæ in Gallias tranſmiſſa tunc fuerat, tum æquivocum *adorationis* vocabulum, quod Nicæni Patres paſſim uſurpant, ut imaginum cultum exponant.

Quæ huc uſque diximus, ex eo etiam confirmantur, quod Senonenſe Concilium anno 1528.

1528. putaverit, nec Carolum, nec Synodum Francofordienſem oppugnaſſe unquam ſacrarum imaginum venerationem; ait enim in decretis fidei c. 14. de veneratione imaginum: *Inſurgentibus tandem imaginum everſoribus, Romani Pontifices, Conſtantinus, Gregorius II. & III. Paulus I. Stephanus III. & Hadrianus I. tanta animi conſtantia reſtiterunt, ut illi ſeptima tandem apud Nicæam Synodo concordi Patrum aſſenſu damnarentur. Et Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus Francofordienſi Conventu, ejuſdem erroris ſuppreſſerit inſaniam, quam infeliciſſimus quidam Felix in Gallias, & Germaniam invexerat.*

Poſtremo ut modum exponamus, quo ſacræ imagines ſunt colendæ, Tridentini Concilii doctrinam ex ſeſſ. 25. præmittimus, ubi ait: „ Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ: vel quod ab eis ſit aliquid petendum: vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicenæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Etſi igitur veriſſimum ſit, quod imaginis honor ad Prototypum referatur, non inde inferri poteſt, quod eadem adoratio imagini, quæ prototypo competit, debeatur. Quare licet Chriſti & Sanctorum imagines retinendas eſſe ac honorandas nemo Catholicus dubitet; non tamen arbitramur Sanctorum imagines adorandas eſſe cultu duliæ quæ debetur Sanctis; nec Chriſti imaginem cultu latriæ quæ ipſi Chriſto debetur, adorandam eſſe cenſemus: ſed honoraria quædam veneratio quæ ſignis competit, eiſdem imaginibus deferenda eſt, ſicuti etiam ex VII. Synodo ſupra in c. 4. notavimus. Ejuſcemodi autem veneratio, quamvis ejuſdem ſit generis, eo magis aut minus imaginibus competit, quo magis aut minus excellentia ſunt illa, quæ eædem imagines repræſentant ea nimirum ex cauſa quod licet honor ille in typo hæreat, neque ad prototypum terminetur, propter prototypum tamen typo defertur.

Hæc vero ut planiora fiant, attende, quod tripliciter conſiderari poteſt imago. Primo videlicet, ut res quædam eſt, puta lignum, æs, argentum, aurum, ſive opus arte compoſitum; & hoc modo nullius venerationis eſt capax.

Secundo, prout reipſa, & in actu, ut ajunt, *exercito* repræſentans menti adorantis, & in ea intentionaliter exprimens prototypum: atque ita prototypum eſt adorationis terminus & objectum; imago vero eſt pura conditio, ac ſimplex adorationis occaſio: quo ſane in ſenſu admitti poteſt, quod imagines improprie, vel *per accidens*, eodem genere cultus cum prototypo, ſive exemplari colantur; non tamen proprie, & *per ſe*, ac rigoroſe loquendo. Hinc nonnulli Scholaſtici

ci affirmarunt, cultum imaginum in eiſdem non ſiſtere, ſed tranſire ad prototypum per imagines demonſtratum; proindeque non abſolutum cultum eſſe, ſed ſolummodo relativum. Unde per Chriſti imaginem Chriſtum adoramus, atque per imagines Deiparæ, & Sanctorum, ſive Angelorum, ſive hominum, Deiparam, Sanctosque vel Angelos, vel homines veneramur. Et hoc eſt quod Tridentina Synodus in loco ſuperius laudato dicebat: *Honos qui eis exhibetur* &c. Et VII. Synodus in Act. 7. ait: *Imaginis honor ad primitivum tranſit; & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam.* Ac poſtremo Innocentius III. in Serm. de Dedicatione Templi inquit: *Verius adoramus Deum coram imagine, quam imaginem coram Deo. Unde præceptum eſt*, Coram altari hoc adorabitis. *Non ait*, Altare, *ſed*, Coram Altari.

Tertio tandem conſiderari imago poteſt, *ſignato* dumtaxat in actu; quatenus nempe imago eſt quidem repræſentatio, ac ſimilitudo objecti quod colitur; reipſa tamen objectum illud, ſive prototypum, vel res adorata non ponitur in mente adorantis imaginem, neque mens noſtra per imaginem in prototypi cognitionem ac venerationem actu conſurgit: atque hoc modo imago eſt quidem res ſacra, & honoranda, ſed externo dumtaxat honore, qui etiam abſolutus cultus poterit appellari, quia ad ipſam refertur ac tendit imaginem. Et hic eſt honor, quem *venerationis* appellat S. Bonaventura in 3. d. 9. a. 1. q. 4. aitque, quod neque latriæ ſit, neque duliæ; quia non eſt ſpecies *adorationis* proprie dictæ, quæ rationali dumtaxat naturæ defertur: proindeque ejuſcemodi honor eſt omnino diſtin-

ctus ab honore, quo prototypa veneramur; etſi eiſdem imaginibus deferatur propter moralem quandam excellentiam ex prototypis hauſtam, quæ illæ aliquatenus repræſentant, & quibuſcum quodammodo conjunguntur.

Quod denique de ſanctis imaginibus dictum eſt, ſuo etiam modo confert, ut exponatur cultus ſacris reliquiis exhibendus: quamvis iſtæ majorem præ illis mereantur honorem. Veneramur enim imagines, quia Sanctos extrinſecus ſolummodo repræſentant; colimus vero reliquias, quia ipſis Sanctorum animabus, vel corporibus adhæſerunt. Hinc plura Deus ſolet per reliquias, quam per imagines miracula operari. Lege quæ ſupra c. 5. diximus cum S. Thoma in p. 3. q. 25. a. *6.*



DE

DE

THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXI.

Ubi de hominum noviſſimis breviter diſputatur.

Antequam de Sacramentis agamus, quæ noſtris hiſce inſtitutionibus finem imponent, tres præmittere libros, de noviſſimis ſcilicet, de purgatorio, ac de juſtificatione, ſtatuimus; ut theologico huic curriculo nullum deficiat argumentum, quod Tyronum noſtrorum valeat eruditioni conferre. Sit itaque

CA-

CAPUT I.

Quod Antichriſtus, homo ille peccati, ſit in ſæculorum fine venturus.

PLura de Antichriſto Theologi, ſacrique Interpretes ſcitu digna ſcripſerunt; nos autem brevitati ſtudentes ea tantum explananda ſelegimus, quæ utiliora videntur, quæque frangendæ recentium hæreticorum audaciæ magis conferre cenſuimus. Horum enim plerique apud rudem plebeculam inculcare nituntur, jampridem in Mundum veniſſe Antichriſtum, & hunc Romanum eſſe Pontificem: quod ut vero magis ſimile oſtendant, inficiantur, Antichriſtum eſſe unum quendam hominem ſingularem; ſed illum eſſe ajunt tyrannicum quoddam Regnum, ac Sedem, ſive Poteſtatem, in qua alii aliis ſubrogantur.

Propoſitio 1. Antichriſtus de quo peculiariter Scripturæ loquuntur, ſingularis & unicus erit homo.

Probatur. Chriſtus Joan. 5. v. 43. Judæis ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Quo ſane in loco juxta communem SS. Patrum interpretationem Chriſtus de Antichriſto loquitur, quem Judæi pro Meſſia recipient: atqui iſti unum certum ac ſingularem hominem uti Meſſiam expectant, ac pro Meſſia recipient: Antichriſtus igitur homo erit ſingu-

gularis, & unicus. Idque confirmatur ex eo, quod Chriſtus ibi non regnum regno, neque ſectam ſectæ, ſed perſonam perſonæ evidenter opponat, uti ex verbis illis apparet: *Ego*, & *Alius*; *in nomine Patris mei*, & *in nomine ſuo*. Lege S. Bonaventuram expoſit. in hunc locum.

Deinde in 2. ad Theſſal. c. 2. poſtquam Paulus v. 3. & 4. præmiſerat: *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus &c.* v. 8. ſubjunxit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui*. Quæ quidem verba de ſingulari perſona, non de regno aliquo dicta eſſe, præter unanimem Patrum interpretationem, oſtendit articulus in Græco præpoſitus illis vocibus, *homo peccati*, *filius perditionis*, *iniquus*; ita nempe ut quod Latinus Interpres poſtremo loco vertit, *ille iniquus*, ſupra etiam vertere eo modo potuerit, *ille homo peccati*, *ille filius perditionis*.

Præterea Patres ex Dan. c. 7. & Apoc. cc. 12. 13. 17. docent, Antichriſti regnum non amplius duraturum, quam tribus annis cum dimidio, ſive diebus mille ducentis: atqui id de certo quodam homine intelligendum eſt, non de regno aliquo, ſive monarchia, præſertim Romani Pontificis, quæ a Chriſto ad noſtra uſque tempora feliciter permanet, & uſque ad conſummationem ſæculi permanebit. Hac de re inter Patres alios legendi ſunt Hieronymus in c. 7. Danielis, & Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Theſſal.

Propoſitio 2. Antichriſtum nondum veniſſe certis argumentis oſtenditur.

Et

Et profectò ante ultimam Antichriſti perſecutionem Evangelium Chriſti in univerſo terrarum orbe prædicandum fore colligitur ex illis ejuſdem Chriſti verbis Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio*. Atqui ſuperſunt adhuc non paucæ in Orbe gentes, quibus nondum prædicatum eſt Evangelium.

Accedit inſuper, quod non veniet Antichriſtus, *niſi venerit diſceſſio primum*, ſive generalis defectio, & apoſtaſia a Romana Eccleſia, quam indicavit Apoſtolus in 2. ad Theſſal. 2. v. 3. Atqui quamvis diſceſſio iſthæc inchoata jam dudum fuerit, cum ab obedientia Romani Pontificis non pauca tam Orientis, quam Occidentis regna defecerint; non tamen eſt conſummata, cum plura alia regna ſub ejuſdem Pontificis obedientia perſeverent.

Quod ſi juxta aliorum interpretationem in adducto textu diſceſſionis nomine defectionem a Romano Imperio intelligendam eſſe cenſueris, adhuc argumenti vis tota ſubſiſtet. Romanum enim Imperium nondum everſum eſt penitus & extinctum, ſed etſi diminutum ſit plurimum & accisum, in Romano adhuc Imperatore perdurat. Nondum ergo venit homo ille peccati.

His adde, quod Antichriſti perſecutio omnium graviſſima ſit futura; ita nempe quod publica Chriſtianæ Religionis exercitia tunc ceſſabunt, ac juge etiam Miſſæ ſacrificium auferetur; uti patet ex Matth. 24. 21. ex Apocal. 20. 7. & ex Dan. 12. 11. Atqui Chriſtiani nondum perſecutionem hujuſcemodi ſunt experti.

Tandem Antichriſti tempore venient Henoch,

&

& Elias, ut ei ſua prædicatione reſiſtant. Legitur enim Eccl. c. 44. v. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*. Et ibidem c. 48. de Elia honorifice plura dicuntur, ac illud præcipue v. 10. *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iſrael*. Atqui nondum duo illi venerunt.

Propoſitio 3. Romanus Pontifex omnino perperam dicitur Antichriſtus.

Probatur ex dictis. Antichriſtus in Scripturis uti ſingularis homo deſcribitur: Romani vero Pontifices ſunt plures, in eadem dignitate alii aliis ſuccedentes.

Tum Antichriſtus a Judæis tanquam Meſſias recipietur; proindeque ex Judæorum gente prodibit, circumcidetur, & ſabbatum obſervabit; uti Interpretes, ac Patres affirmant. Atqui nemo ex Romanis Pontificibus Judæus fuit, nemo Judaicam religionem ſervavit, nemo a Judæis pro Meſſia fuit exceptus.

Deinde uti ſcribit Apoſtolus in 2. ad Theſſal. 2. v. 4. Antichriſtus *adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus*. Atqui nemo Romanorum Pontificum ſe pro Deo coli voluit, nemo ſe Chriſto parem aut ſuperiorem aſſeruit; quin potius omnes ſe Chriſti ſervos ac vicarios aſſerunt, imo & ſervos ſervorum ejus ſe verbo ſcriptoque fatentur.

Præterea, ſi Papa eſt Antichriſtus; ergo Chriſtus decepit Eccleſiam, quando Petro dixit Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Pe-*

Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et Antichriſto commiſit Eccleſiam, ideſt lupo tradidit oves, quando dixit Petro Joan. 21. 17. *Paſce oves meas.* Neque fuit exauditus a Patre in eo quod afferit Lucæ 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Non enim ad ſolius Petri perſonam pertinent ea Scripturarum oracula, ſed & ad ejus in perpetuum Succeſſores, ne ad breviſſimum dumtaxat tempus Eccleſiæ ſuæ proſpexiſſe Chriſtum fateri cogamur. Unde quæcumque argumenta primatum Petri & Succeſſorum ejus, & fidei ejus indefectibilitatem oſtendunt, evincunt etiam, quod Romanus Pontifex non ſit Antichriſtus.

His adde, quod deſignari nemo poſſit ex Romanis Epiſcopis, qui doctrinam novam, & Anteceſſorum ſuorum doctrinæ contrariam in Eccleſiam invexerit, aut ſaltem Eccleſiæ tenendam propoſuerit, aut denique de ea re facta vel tentata a Doctoribus & Paſtoribus Eccleſiæ fuerit redargutus; quod tamen in Cathedra Conſtantinopolitana, & Alexandrina, aliiſque ſæpius eveniſſe non latet. Nullus ergo Pontificum, qui in Romana Cathedra huc uſque ſederunt, fuit Antichriſtus; quandoquidem eſt Antichriſti certiſſima nota etiam a Daniele c. 7. v. 25. prædicta, quod mutaturus ſit doctrinam, & inſtituta Majorum.

Conſtat id tandem ex Patribus, qui ſummo cum honore de Romano Pontifice ubique loquuntur. Hos inter S. Hieronymus in epiſt. 17. ad Damaſum ex eo ſtatuit ad Antichriſti partes aliquem pertinere, ſi a Romano Pontifice

in

in doctrina diſſentiat; unde ait: *Quicumque secum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Legendus eſt etiam S. Bernardus in lib. 2. de Conſid. c. 8.

Objicies 1. contra 1. propoſ. in 2. ad Theſſal. c. 2. v. 7. Paulus de Antichriſto pronunciat, quod *myſterium jam operatur iniquitatis;* & tamen ibidem adjungit eum in fine mundi interficiendum a Chriſto. Joannes item in epiſt. 1. c. 4. v. 3. ſcribit: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Cum ergo unus ſingularis homo vivere nequeat ab Apoſtolorum tempore uſque ad mundi finem, Antichriſtus non erit ſingularis perſona, vel homo, ſed ſecta, aut monarchia Chriſto contraria.

Reſp. neque Paulum, neque Joannem aſſerere, quod ipſorum jam tempore Antichriſtus advenerit, cœperitque per ſeipſum iniquitatis myſterium operari; ſed quod in præcurſoribus ſuis graſſari tunc cœperit, qui myſterium iniquitatis operabantur, a perſona Antichriſti in mundi fine complendum. Unde Joannes in eadem epiſt. c. 2. v. 18. ait: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Sicut enim Chriſtus ab ipſa mundi origine venire cœpit in Patriarchis & Prophetis, qui præcurrerunt, viamque illi pararunt; ita nempe ut dici recte queat, eum ab initio cœpiſſe operari myſterium pietatis, etſi in propria perſona non venerit, niſi quando de Virgine carnem aſſumpſit: haud quoque aliter Antichriſtus, quamvis circa mundi finem in propria perſona venturus ſit, poſt tamen Chriſti aſcenſionem in Cœlum, venire cœpit in præcur-

curſoribus ſuis, ac per eoſdem iniquitatis myſterium operari; cujuſmodi fuere omnes Chriſti hoſtes, Pagani ſcilicet, & hæretici, quos inter accenſendi ſunt etiam Calvinus, & Beza, qui argumentum iſtud impudentiſſime confinxerunt. Ita igitur hæretici a Joanne Antichriſti dicuntur, ſicut Baptiſta a Chriſto vocatur Elias Matth. 17. v. 12., ſpiritu ſcilicet, non perſona.

Objicies 2. contra 2. & 3. propoſ. Uti ex Apoc. colligitur c. 17., Antichriſtus Babylone ſedebit: atqui Babylonis nomine Joannes Romam, Papæ ſedem, intelligit. Babylon enim, quæ ſub nomine meretricis magnæ ſuper beſtiam ſedentis eo in loco deſcribitur, dicitur v. 10. fundata ſuper ſeptem montes; quod ſane Romæ competit, quæ idcirco ſepticollis Civitas appellatur. Hinc plures ex Veteribus Romam Babylonis nomine deſignarunt, quos inter Hieronymus in epiſt. ad Paulinianum de Roma Chriſtiana ſic loquitur: *Cum adbuc in Babylone verſarer, & purpuratæ meretricis eſſem colonus &c.* Denique ipſe etiam S. Petrus Babylonis nomine Romam deſignavit, dum in epiſt. 1. c. 5. v. 13. ſcripſit: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.*

Reſp. quod Beda, Rupertus, Haymo in ſuis Commentariis, & Auguſtinus in Pſalm. 26. per Babylonem non Romam intelligant, ſed diaboli regnum & civitatem, quæ in Scripturis Babylon non raro vocatur, quomodo Dei Regnum, & Civitas, id eſt Eccleſia, vocatur aliquando Jeruſalem.

Deinde etſi concedamus, quod per Babylonem a Joanne Roma notetur, non tamen ut Chriſtiana eſt, ſed ut ethnica erat tempore Apoſtolorum, ac deinceps uſque ad Conſtantinum; qua-

qualem nempe Joannes appellat v. 5. *matrem fornicationum, & abominationum terræ:* de qua etiam S.Leo in ſerm.1. de Natali Petri & Pauli ait, quod *licet omnibus pene dominaretur gentibus, omnium tamen gentium ſerviebat erroribus*, & in Chriſti Eccleſiam per principes ſuos adhuc ethnicos immaniter ſæviebat: unde Joannes v. 6. ſubjungit: *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu*. Ex quibus apparet, quod etiam Petrus Joannis ſynchronus Babylonis nomine Romam ethnicam deſignaverit, quamvis in ea quædam tunc eſſet Chriſtianorum Eccleſia.

Tandem Hieronymus etiam non de Roma loquitur, qualis ſuo tempore erat, Chriſtiana videlicet; ſed qualis fuerat, dum ethnico detinebatur errore. Unde verborum ejus iſte eſt ſenſus: Cum in ea Civitate verſarer, quæ aliquando fuit Babylon, & meretrix illa purpurata, quam Joannes in Apocalypſi deſcribit. Hunc enim eſſe ſenſum ipſe Hieronymus indicat in fine lib. 2. contra Jovinianum, ubi ita Romam alloquitur: *Ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti*.

Objicies 3. S. Gregorius veluti prophetice ſcripſit in lib. 4. epiſt. 38., quod Antichriſtus erit ille, qui ſibi univerſalis Epiſcopi titulum uſurpaverit: atqui hunc titulum poſt Gregorii mortem Bonifacius III. a Phoca Imperatore impetratum aſſumpſit: ergo Papa extunc Antichriſtus evaſit.

Reſp. non affirmaſſe Gregorium, quod ille ſit Antichriſtus, qui univerſalis Epiſcopi nomen aſſumpſerit; ſed ſolum citato in loco ſcripſiſſe, quod ejuſcemodi nomen ſit ſuperbum, profa-

num, blaſphemum, ſacrilegum, diabolicum, & Antichriſti prænuncium. Neque Bonifacius hoc nomen a Phoca impetravit, neque unquam vel ipſe, vel aliquis ex Prædeceſſoribus, aut Succeſſoribus ejus adhibuit; ſed dumtaxat a Phoca petiit, ut Romanæ Cathedræ primatum, qui divino ad eum jure ſpectabat, imperiali auctoritate contra præſumptionem Conſtantinopolitani Epiſcopi tueretur, qui univerſalem Epiſcopum publice ſe dicebat.

Sed notandum eſt inſuper, quod ſi univerſalis Epiſcopus ille dicatur, qui ſolus omnium Provinciarum, & Civitatum Epiſcopus eſt; ita ut alii non ſint Epiſcopi, ſed unius Pontificis meri ſimplicesque Vicarii; eo plane ſenſu negandum eſt, Romanum Pontificem eſſe univerſalem Epiſcopum. Et quia in ſenſum iſtum facile poteſt appellatio illa deflecti, & quia CP. Patriarchæ ambitio eo tendere videbatur, ut ſicut Imperator CP. ſolus tenebat Imperium, ita ipſe Epiſcopatum ſolus & univerſaliter obtineret, ceteros Epiſcopos tantum ut ſui Vicarios habiturus; idcirco titulum illum Gregorius tanta verborum vehementia condemnavit. Poteſt autem univerſalis Epiſcopi nomen illum deſignare, qui generalem omnibus Eccleſiis ſollicitudinem ac curam impendit. Et hoc in ſenſu Epiſcopus Romanus vere eſt univerſalis Epiſcopus; ideoque Chalcedonenſis Concilii Patres nomen illud Leoni Papæ obtulerunt, quamvis modeſtiæ cauſa SS. Pontifex ambigui ſenſus titulum conſtanter recuſaverit; ut idem Gregorius non uno in loco teſtatur.

Tandem advertimus, quod ut oſtendatur Antichriſtum nondum in ſua perſona veniſſe, neque

que ipſum Romanum eſſe Pontificem, non leve argumentum ex tanta opinionum diverſitate trahatur. Quidam enim ex hæreticis Antichriſtum paulo poſt Apoſtolorum mortem veniſſe contendunt, Romanum nempe Pontificem, qui verum Chriſtum negavit purum hominem, uti prædicarunt Apoſtoli, aliumque æternum Chriſtum invexit, ac pro Deo propoſuit. Quidam alii ſexto ſæculo illum veniſſe ſentiunt, ac S. Gregorium M. fuiſſe primum Antichriſtum affirmant, quia Miſſas pro defunctis, & Sanctorum invocationem induxit. Alii vero id negant, & ſeptimum, vel octavum, vel alium Eccleſiæ ſæculum primo Antichriſti adventui pro ſua libidine, ineptoque errore præſcribunt. Verum eſt equidem, quod nonnulli etiam ex Catholicis circa Antichriſti adventum erraveverint; id tamen ex eo contigit, quod ad ſuorum temporum malitiam attendentes, vel ex alia quadam conjectura permoti, jam mundi finem imminere, jamque Antichriſtum futurum eſſe putaverint; proindeque ipſum non dubitarunt in ſæculorum fine venturum. At hæretici in eo turpiter errant, quod Antichriſtum diu ante finem mundi venturum, imo reipſa veniſſe, ac Romæ regnare confingant. Reliqua lege apud Theologos, & Interpretes de Antichriſto fuſius pertractantes, Eſtium nempe, Gotti, Malvenda, Calmet &c.

num, blaſphemum, ſacrilegum, diabolicum, & Antichriſti prænuncium. Neque Bonifacius hoc nomen a Phoca impetravit, neque unquam vel ipſe, vel aliquis ex Prædeceſſoribus, aut Succeſſoribus ejus adhibuit; ſed dumtaxat a Phoca petiit, ut Romanæ Cathedræ primatum, qui divino ad eum jure ſpectabat, imperiali auctoritate contra præſumptionem Conſtantinopolitani Epiſcopi tueretur, qui univerſalem Epiſcopum publice ſe dicebat.

Sed notandum eſt inſuper, quod ſi univerſalis Epiſcopus ille dicatur, qui ſolus omnium Provinciarum, & Civitatum Epiſcopus eſt; ita ut alii non ſint Epiſcopi, ſed unius Pontificis meri ſimpliceſque Vicarii; eo plane ſenſu negandum eſt, Romanum Pontificem eſſe univerſalem Epiſcopum. Et quia in ſenſum iſtum facile poteſt appellatio illa deflecti, & quia CP. Patriarchæ ambitio eo tendere videbatur, ut ſicut Imperator CP. ſolus tenebat Imperium, ita ipſe Epiſcopatum ſolus & univerſaliter obtineret, ceteros Epiſcopos tantum ut ſui Vicarios habiturus; idcirco titulum illum Gregorius tanta verborum vehementia condemnavit. Poteſt autem univerſalis Epiſcopi nomen illum deſignare, qui generalem omnibus Eccleſiis ſollicitudinem ac curam impendit. Et hoc in ſenſu Epiſcopus Romanus vere eſt univerſalis Epiſcopus; ideoque Chalcedonenſis Concilii Patres nomen illud Leoni Papæ obtulerunt, quamvis modeſtiæ cauſa SS. Pontifex ambigui ſenſus titulum conſtanter recuſaverit; ut idem Gregorius non uno in loco teſtatur.

Tandem advertimus, quod ut oſtendatur Antichriſtum nondum in ſua perſona veniſſe, neque

que ipſum Romanum eſſe Pontificem, non leve argumentum ex tanta opinionum diverſitate trahatur. Quidam enim ex hæreticis Antichriſtum paulo poſt Apoſtolorum mortem veniſſe contendunt, Romanum nempe Pontificem, qui verum Chriſtum negavit purum hominem, uti prædicarunt Apoſtoli, aliumque æternum Chriſtum invexit, ac pro Deo propoſuit. Quidam alii ſexto ſæculo illum veniſſe ſentiunt, ac S. Gregorium M. fuiſſe primum Antichriſtum affirmant, quia Miſſas pro defunctis, & Sanctorum invocationem induxit. Alii vero id negant, & ſeptimum, vel octavum, vel alium Eccleſiæ ſæculum primo Antichriſti adventui pro ſua libidine, ineptoque errore præſcribunt. Verum eſt equidem, quod nonnulli etiam ex Catholicis circa Antichriſti adventum erraverint; id tamen ex eo contigit, quod ad ſuorum temporum malitiam attendentes, vel ex alia quadam conjectura permoti, jam mundi finem imminere, jamque Antichriſtum futurum eſſe putaverint; proindeque ipſum non dubitarunt in ſæculorum fine venturum. At hæretici in eo turpiter errant, quod Antichriſtum diu ante finem mundi venturum, imo reipſa veniſſe, ac Romæ regnare confingant. Reliqua lege apud Theologos, & Interpretes de Antichriſto fuſius pertractantes, Eſtium nempe, Gotti, Malvenda, Calmet &c.

CAPUT II.

Quod omnes homines morituri ſint, ii etiam, quos ultimus judicii dies vivos inveniet.

QUidam Interpretes, Græci præſertim, affirmant, eos qui ſub Chriſti Judicis adventum in ultima mundi die vivent, mortem omnino non ſubituros, ſed in eam, de qua Paulus in 1. ad Cor. c. 15. v. 51. mutationem tantum tranſmigraturos exiſtimant. Hujus autem opinionis fundamentum quale fuerit, ex ſequentibus apparebit.

Propoſitio. Omnes ſingulique homines mortem ſunt experturi. Eſt omnium Scholæ Doctorum aſſertio, eamque *ſecuriorem*, *ac communiorem* appellat Angel. Doctor in ſupplem. q. 78. alias 80. a. 1.

Probatur. In Pſalmo 88. v. 49. legitur: *Quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem?* Job c. 30. v. 23. Deo ait: *Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi*. Legitur & Eccleſiaſtici 8. v. 8. *Quoniam omnes morimur*. Rom. 5. 12. *In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Denique Hebr. 9. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*. Hæ vero aliæque ſententiæ, quæ paſſim in Scriptura leguntur, & etiam apud Patres frequenter occurrunt, cum univerſalem ſenſum includant, a moriendi neceſ-

ceſſitate neminem prorſus excipiunt.

Deinde Scripturæ originali peccato mortis neceſſitatem adſcribunt; uti Gen. 3. Rom 5. & in 1. ad Cor. 15. & alibi ſæpe: cum ergo peccatum illud commune ſit omnibus, mortem quoque omnibus communem fore convincitur.

Id etiam ex eo firmatur, quod in 1. ad Cor. 15. 22. ait Apoſtolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Vivificandi namque vocabulum ad eos etiam proculdubio reſpicit, qui adveniente Judice vivi reperientur; & ſive de omnibus, ſive de ſolis Electis textum intelligas, ſaltem ex Apoſtoli mente eos comprehendit Electos, qui tunc erunt in vita reſidui. Morientur ergo, ut vivificari poſſint, juxta illud quod ibidem adjungitur v. 36. *Quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur.*

Tum quia quotquot a Mundi initio fuere, ſunt mortui, quamvis illi ſanctiſſimi eſſent; & vel reſurrexerunt, vel demum a morte reſurgent. Chriſtus ipſe, qui ad delendum peccatum factus eſt homo, mortem obivit, & a morte ſurrexit. B. Virgo ejus Mater mortua eſt, reſurrexitque poſt mortem, uti credit Eccleſia: Henoch denique & Elias, qui nondum ſunt mortui, circa finem ſeculi morientur, ac deinde a morte reſurgent. Ergo & aliorum nemo a morte erit immunis, ſive Electus ſit, ſive ſit reprobus: quod etiam ex Athanaſii Symbolo demonſtratur, in quo legitur, quod *ad Judicis adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis &c.*

Objicies 1. Ubi Vulgata noſtra in 1. ad Cor. 15. v. 51. legit: *Omnes quidem reſurgemus, ſed*

 non

non omnes immutabimur, Græci, Syrique Codices habent: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*. Et ita legunt Origenes in lib. 2. contra Celſum, Chryſoſtomus, Theophylactus, Œcumenius, aliique nonnulli etiam ex Latinis, quos inter eſt Tertullianus de Reſurr. c. 41. & 42. Cum ergo in prima perſona loquatur Apoſtolus: *Non omnes dormiemus*, de ſolis Juſtis loqui videtur, qui vivi in adventu Judicis invenientur, quique etſi non dormient, ideſt minime morientur, erunt tamen per gloriam immutandi.

Græca quoque lectio confirmatur ex eo, quod v. 52. ſubjungitur: *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*: Ubi de beata incorruptione loqui Apoſtolum ex ſequentibus patet, ſenſuſque hic eſſe videtur: Qui antea mortui fuerint, ad beatam incorruptionem reſurgendo pervenient: nos autem qui vivi reperiemur, non reſurgemus quidem, quia reſurrectio eſt mortuorum; ſed tamen in eundem ſtatum cum iis qui reſurrexerint, immutabimur; quia etiam in nobis, quamvis non morituris, *oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: uti ibidem adjungitur v. 53. Hæc eſt præcipua adverſæ quorundam opinionis objectio.

Reſp. quod etiamſi Græca lectio admittatur, facile exponi ſic poteſt, ut dormiendi vocabulo ſomnus ſive quies aliquanti temporis denotetur, qualis eorum eſt qui ſepulcro conduntur. Neque enim dormiviſſe dicitur, qui ad momentum ſenſuum uſu privatus mox ſtatim evigilat. Quod enim juxta Scripturæ phraſim dormire moram & continuationem ſomni per mo-

modum quietis aliquando ſignificet, oſtendit illud Pſalmi 120 v. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*. Ubi quidem dormitare minus eſt, quam dormire, uti recte ejus loci Commentatores advertunt. Quocirca dicere poſſumus, quod qui in Judicis adventu vivi reperientur, ſubita morte occupati, moxque reſuſcitandi, dormitabunt quidem, ſive leviter obdormiſcent; non tamen dormient, ideſt non diuturnam mortis quietem accipient: atque hunc ſenſum ex Græcorum Scholiis refert etiam Œcumenius.

Et ſane, ſi objecto in textu negare vellet Apoſtolus morituros eos omnes, qui vivi tunc erunt, ex ejus ſententia conſequens foret, neque impios quorum tunc maximus erit numerus, mortem eſſe paſſuros: atqui quamvis id Cajetanus, nonnullique Græci conceſſerint, eſt tamen evidenter abſurdum, impios a maledictione, quæ ob primi hominis peccatum in univerſum humanum genus invaſit, liberos fore, cum eam omnes ſuperiorum temporum Juſti pertulerint. Neque enim ex eo quod Apoſtolus ibi in prima perſona loquatur, concludendum eſt, loqui ipſum de ſola reſurrectione Bonorum; nam etiam in 2. ad Cor. 5. v. 10. loquitur in prima perſona, dum ait: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*; & ad Rom. 14. v. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti*; & tamen utroque in teſtimonio Electos ſimul ac reprobos comprehendit. Dicendum eſt igitur, quod Latinæ ſtandum ſit lectioni, cujus iſte eſt ſenſus: Omnes incorrupti immortaleſque reſurgent, poſtquam mortui fuerint, ut eodem in cap. ait Apoſtolus v. 22. At ſoli ad glo-

gloriam immutabuntur Elect: .

Ceterum teſtatur S. Hieronymus in epiſtola 132. ad Minerium, & Alexandrum, quod non omnes Græci Codices habeant, *Non omnes dormiemus*, ſed nonnulli dumtaxat, quibus authentica Vulgatæ lectio refragatur: *Quamobrem*, inquit ex Didymo Hieronymus, *ita legendum eſt: Omnes quidem reſurgemus*, (ſive *dormiemus*, ut ipſe ait) *non autem omnes immutabimur. Si enim in Adam omnes moriuntur, & in morte dormitio eſt; omnes ergo dormiemus, ſive moriemur. Dormit autem juxta idioma Scripturarum, qui mortuus eſt ſpe reſurrectionis futuræ. Omniſque qui dormit, utique expergiſcitur: ſi tamen non ſubita vis mortis eum oppreſſerit, & mors ſomno fuerit copulata. Cumque omnes ita dormierint lege naturæ, ſoli Sancti & corpore, & anima in melius mutabuntur: ita ut incorruptio omnium reſurgentium ſit; gloria autem, atque mutatio proprie Sanctorum.*

Objicies 2. In 1. ad Theſſal. 4. v. 15. Paulus cum dixiſſet: *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*, ſubjunxit: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera*: quibus affirmare videtur, quod mortui qui in Chriſto dormierint, primum reſurgent, ac deinde Juſti, qui reperientur vivi, in quorum perſona ipſe loquitur, ſimul cum illis a morte reſuſcitatis, adhuc viventes in Chriſti gloriam rapientur.

Reſp. cum S. Thoma lect. 2. in c. 4. epiſt. 1. ad Theſſal., *quod aliqui inveniuntur vivi in tempore illo, quo Chriſtus veniet ad judicium, ſed in illo momento temporis morientur, & ſtatum*

rum reſurgent. Et ideo propter modicam interpolationem reputantur viventes. Quia vero nonnulli putabant, prius reſurrecturos, qui jam mortui erant, deinde cum vivis rapiendos, vivoſque morituros in raptu; reſpondet Doctor Angel. *Et ideo aliter videtur dicendum quod omnes morientur, & omnes reſurgent, & quod ſimul: nec Apoſtolus dicit hic, quod illi prius reſurgent, quam iſti, ſed quod illi prius reſurgent, quam iſti occurrant: Apoſtolus enim non ponit ordinem reſurrectionis ad reſurrectionem, ſed ordinem ad raptum, vel ad occurrentiam. Nam primo veniente Domino morientur, qui invenientur vivi: & tunc ſtatim cum illis qui prius mortui fuerant reſurgentes rapientur in nubibus &c. ut Apoſtolus hic dicit. Eſt autem hæc inter bonos, & malos differentia; quia mali remanebunt in terra quam dilexerunt, boni rapientur ad Chriſtum quem quæſierunt.*

At dices. Auguſtinus in lib. 2. de peccat. mer. c. 31. ait: *Hoc quibuſdam in fine largietur, ut mortem iſtam repentina commutatione non ſentiant, ſed ſimul cum reſurgentibus rapiantur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino vivant.*

Reſp. quod S. Doctor in lib. 2. Retract. c. 23. teſtetur, ſe ibi opinando, non aſſerendo fuiſſe locutum: *In ſecundo libro* de peccat. mer. *quodam loco*, hoc quibuſdam, *inquam*, in fine largietur, ut mortem repentina commutatione non ſentiant: *ſervans locum diligentiori de hac re inquiſitioni. Aut enim non morientur; aut de vita iſta in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tamquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient*. Ex quibus ap-

apparet, quod Auguſtini tempore in utramque partem iſthæc quæſtio verſabatur.

Objicies 3. Ex Scriptura, & Symbolo profitemur, quod Chriſtus venturus ſit *judicare vivos, & mortuos*. Atqui id nequit intelligi de ipſo judicii tempore, quia omnes vivi tunc erunt: Oportet igitur, quod ad præcedens tempus hæc diſtinctio referatur; proindeque non omnes ante judicium morientur.

Reſp. cum S. Thoma in qu. 78. alias 80. ſuppl. a. 1. ad 1. „ quod diſtinctio illa mor„ tuorum, & vivorum non eſt referenda ad „ ipſum judicii tempus, neque ad totum tem„ pus præteritum; quia omnes judicandi aliquo „ tempore fuerunt vivi, & aliquo tempore mor„ tui; ſed ad illud tempus determinatum, quod „ immediate judicium præcedet, quando ſcili„ cet judicii ſigna incipient apparere." Hinc, ut idem S. Doctor ait in q. 74. alias 76. a. 7. ad 3., „ omnes homines morientur, & reſur„ gent: ſed tamen illi dicuntur vivi reperiri, „ qui uſque ad tempus conflagrationis vivent „ in corpore.

Objicies 4. Apoc. 19. v. 20. de Beſtia, & Pſeudopropheta, ideſt de Antichriſto, ejuſque miniſtro legitur: *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*.

Reſp. quod ex Apoſtolo in 2. ad Theſſal. c. 2. v. 8. *Dominus Jeſus* Antichriſtum *interficiet ſpiritu oris ſui*. Ergo Chriſti juſſu vivus ille a terra vorabitur, mortuus tamen ad inferna pertinget; quo etiam modo olim Core, Dathan, & Abiron vivi quidem deſcenderunt in infernum, at illuc vivi minime pervenerunt.

CA-

CAPUT III.

Ubi generalis corporum reſurrectio futura defenditur.

RЕſurrectionem mortuorum, quæ præcipua eſt Chriſtianorum fides, tanquam anile commentum Ethnici vulgo putarunt. Hinc cum in Areopago Paulus Act. 17. v. 32. mortuorum reſurrectionem annunciaſſet, *quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.*

Inter Judæos etiam Sadducæi corporum reſurrectionem denegarunt; uti Evangelia, & Apoſtolorum acta teſtantur. Pugnarunt pariter contra veritatem iſtam Simoniani, Cerinthiani, Gnoſtici, Nicolaitæ, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, Seleuciani, aliique priorum præſertim ſeculorum hæretici.

Nonnulli præterea ex Hebræis, non omnes homines, ſed juſtos dumtaxat ad vitam revocandos eſſe dixerunt. Origeniſtæ tandem, & Bardeſaniſtæ non hanc redituram carnem, ſed aeream, vel æthereum, alteriuſque naturæ corpus opinati fuere, quibus adhæſit Eutychius Patriarcha CP. a Gregorio M. convictus, qui mortuos in vera carne ac palpabili corpore reſurrecturos eſſe negabat. Contra hos igitur eſto

Propoſitio 1. Dogma fidei eſt, futuram eſſe corporum reſurrectionem.

Pro-

Probatur ex V.T. Job 19. v. 25. ait: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Et Daniel 12. v. 2. ait: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Denique in 2. Machab. 12. dicitur, quod Judas *bene & religioſe de reſurrectione cogitans*, ingentem ad Jeroſolymæ Templum pecuniam miſerit, ut pro peccatis mortuorum Deo ſacrificium offerretur.

Ex novo etiam Teſtamento idem dogma luculenter oſtenditur. Joan. 5. v. 28. Chriſtus ait: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Et c. 11. v. 24. Martha de Lazaro dicit: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.* Item Paulus Act. 24. v. 15. ſe credere profitetur, *reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum.* Plura denique idem Apoſtolus de reſurrectione tum alibi ſcribit, tum præſertim in 1. ad Cor. c. 15.

Multiplex prætetea ratio fidei innixa principiis reſurrectionem corporum perſuadet. Nam 1. ut inquit Doctor Angel. in q. 75. alias 77. ſupplem. a. 1. „ Donum Chriſti eſt majus, quam „ peccatum Adæ; ut patet Rom. 5. Sed mors „ per peccatum introducta eſt; quia ſi peccatum non fuiſſet, mors nulla eſſet: Ergo per „ donum Chriſti a morte homo reparabitur ad „ vitam. " Unde in 1. ad Cor. 15. v. 21. ſcribit Apoſtolus: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et*

ſicut

ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

2. Ut ibidem ſubdit S. Thomas: „ Membra „ debent eſſe capiti conformia: ſed Caput noſtrum vivit, & in æternum vivet in corpore „ & anima, quia *Chriſtus reſurgens ex mortuis, „ jam non moritur;* ut patet Rom. 6. Ergo & „ homines qui ſunt ejus membra, vivent in „ corpore & anima: & ſic oportet carnis reſurrectionem eſſe. “ Unde S. Leo in ſerm. 1. de Aſcenſione Domini ait: *Quo præceſſit gloria Capitis, eo ſpes vocatur & corporis.*

3. Uti adnotat S. Bonaventura in 4. d. 43. a. 1. q. 1. „ Præmium reſpondet merito; ergo „ ſi anima meretur in corpore, debet etiam „ remunerari in ipſo corpore: ſed Deus eſt juſtus remunerator: ergo oportet, quod anima „ reſumat corpus: & ſic &c.

4. Ex eodem S. Doctore: „ Anima habet „ naturalem appetitum ad corpus: quod patet, „ quia non vult ſeparari a corpore etiam exiſtente miſero: ſed beatitudo eſt quies omnium „ deſideriorum: ergo ad hoc quod perfecte beatificetur anima, neceſſe eſt, ſibi corpus reddi; & ſi hoc patet &c.

Tandem adjungit S. Bonaventura: „ Perfectior eſt forma compoſiti, quam aliqua pars; „ quia partes ordinantur ad formam compoſiti: „ ergo completior, & perfectior eſt forma humanitatis, quam ipſa forma, quæ eſt anima: „ ergo cum perfectio gratiæ & gloriæ præſuponat perfectionem naturæ, neceſſe eſt totum „ hominem, non tantum animam glorificari.

Propoſitio 2. Omnes omnino homines in mundi fine reſurgent: Eſt de fide, & ex dictis remanet demonſtrata. Hinc

Hinc Doctor Angel. in q. 75. alias 77. ſupplem. a. 2. ait: „ Reſurrectio ad hoc neceſſaria „ eſt, ut reſurgentes recipiant pro meritis pœ„ nam, vel præmium: ſed omnibus debetur „ vel pœna, vel præmium, vel pro merito pro„ prio, ſicut adultis; vel pro merito alieno, „ ſicut parvulis: Ergo omnes reſurgent.

Deinde: „ Ea quorum ratio ſumitur ex na„ tura ſpeciei, oportet ſimiliter inveniri in o„ mnibus, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei: Talis au„ tem eſt reſurrectio: Hæc enim eſt ejus ratio, „ quod anima in perfectione ultima ſpeciei hu„ manæ eſſe non poteſt a corpore ſeparata: „ unde nulla anima in perpetuum remanebit a „ corpore ſeparata: & ideo neceſſe eſt, ſicut „ unum, ita & omnes reſurgere.

Propoſitio 3. Anima idem numero corpus in reſurrectione reſumet: Eſt de fide.

Probatur ex ipſo reſurrectionis nomine. Uti enim Angel. Doctor recte obſervat in q. 79. alias 81. ſupplem. a. 1. „ Reſurrectio dici non „ poteſt, niſi anima ad idem corpus redeat, „ quia reſurrectio eſt iterata ſurrectio. Ejuſdem „ autem eſt ſurgere, & cadere. Unde reſurre„ ctio magis reſpicit corpus, quam animam, „ quæ poſt mortem vivit: ergo ſi non eſt idem „ corpus quod anima reſumit, nec dicetur re„ ſurrectio, ſed magis novi corporis aſſumptio.

Hanc quoque fidem profeſſus eſt Job, dum c. 19. v. 25. dixit: *In noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius:* ideſt, rurſum hoc idem corpus, & hanc eandem animam, neutrum in

aliud

aliud commutatum, accipiam, & ex utroque conſtans ego, idem nempe numero homo, reſurgam.

Id etiam evidenter eruitur ex 1. ad Cor. 15. v. 53. ubi Paulus ait: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. At ſi non idem numero corpus reſumeretur ab anima, non hoc corruptibile ac mortale, ſed aliud, incorruptionem & immortalitatem indueret. Deinde v. 54. ſubjungit Apoſtolus. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua?* Atqui ſi immortale corpus aliud eſſet ab eo quod periit, poſſet mors adhuc ſuam decantare victoriam, quia mortale corpus illud quod ipſa peremit, nunquam rediret ad vitam.

Chriſtus denique, qui in ſeipſo nobis exemplum reſurrectionis oſtendit, poſtquam ad vitam rediit, idem numero corpus diſcipulis videndum exhibuit, quod vulneratum fuerat, & crucifixum, & in ſepulcro reconditum. In cujus rei argumentum etiam vulnerum cicatrices reſervare voluit, eaſdemque ſuis demonſtrare diſcipulis. Unde Lucæ 24. v. 39. exiſtimantibus illis *ſe ſpiritum videre*, ait: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*.

Quod tandem ad Patrum traditionem attinet, locupletiſſimos de reſurrectionis veritate teſtes eos omnes habemus; ut conſtat ex Juſtino in apologia 2. ex Polycarpo apud Euſebium lib. 4. H. E. c. 15. ex Athenagora, & Tertulliano, qui de hoc argumento librum integrum ediderunt,

runt, ex Irenæo lib. 5. contra hæreſes, ex Ambroſio lib. 2. de fide, ex Hieronymo in epiſt. 38. ad Pammachium, ex Theodoreto lib. 5. Hær. fab. c. 19. ex Gregorio lib. 14. Mor. c. 56. &c.

Objicies 1, contra 1. propoſ. Anima hominis in Pſalmo 77. v. 39. vocatur *ſpiritus vadens, & non rediens*. Item Sap. 16. v. 14. legitur: *Cum exierit ſpiritus, non revertetur*. Et Jobi 7. v. 9. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit; ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet*. Tandem Eccleſiaſtes c. 3. v. 19. ait: *Unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & æquâ utriuſque conditio*.

Reſp. quod ex adductis textibus nihil aliud inferatur, quam quod hominis anima naturali virtute redire non poſſit, nec reditura ſit ad mortale corpus ſuum, quod in hoc mundo reliquit; & quod homo qui deſcendit ad inferos, non amplius ad ſtatum hujuſce vitæ mortalis aſcendet: unde Job addidit: *Nec revertetur ultra in domum ſuam*. Tandem ad Eccleſiaſtæ teſtimonium quid reponendum ſit, apparet ex dictis in lib. 10. c. 9.

Objicies 2. contra 2. propoſ. Plures Scripturæ textus oſtendunt, reſurrectionem pro Juſtis dumtaxat eſſe futuram. Ita in Pſalmo 1. v. 6. legitur: *Non reſurgent impii in judicio*. Et Iſaiæ 43. v. 17. de impiis qui Dei populum afflixerunt, habetur: *Simul obdormierunt, nec reſurgent*. Denique quartus ex ſeptem fratribus Antiochum ſic affatur in 2. Machab. 7. v. 14. *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit*.

Reſp. ad illud Pſalmi, quod ibi *non reſurgent*, idem

idem denotat, ac hebraice *non ſtabunt*, ſive chaldaice *non conſiſtent*; impii ſcilicet, ac peccatores in judicio, conſilioque Juſtorum cauſa cadent, fractique animo ac omni ſpe deſtituti, Judicis ſententiam expectabunt. Hinc de Juſtis e contrario legitur Sap. 5. v. 1. *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt &c.*

Iſaias loquitur de Ægyptiis, qui maris rubri aquis oppreſſi, æterna morte obdormierunt, quin ſe liberare potuerint. Ceterum neque hic, neque alibi Scriptura negat, quod impii abſolute reſurgent, ſed quod non reſurgent ut Juſti, ad vitam ſcilicet ſempiternam. Unde Seraph. Doctor in 4. d. 43. a. 1. q. 2. ait, *quod ſicuti vita accipitur dupliciter, ſcilicet large, & proprie. Large, vivificatio corporis, proprie, vivificatio corporis cum ſalute. Sic & reſurrectio*. Igitur eo ſenſu fatendum eſt, quod impii non reſurgent, quo etiam confitemur, quod illi ſalutem ac vitam æternam minime conſequentur: nam vita miſera ad quam illi reſurgent, mors eſt potius dicenda, quam vita: Unde Joannes in Apoc. 20. v. 14. ait: *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda*. Et ideo denique Martyr ille Machabæus non abſolute dixit, impium tyrannum non reſurrecturum, ſed adjunxit, *Ad vitam*; aperte ſignificans, quandam eſſe reſurrectionem ad mortem, quæ in pœnam impiis reſervatur.

Ex dictis apparet, cur Chriſtus, & Paulus iis aliquando uſi fuerint argumentis, quæ ſolam Juſtorum reſurrectionem oſtendere videbantur; quia nempe de beata potiſſimum reſurrectione tunc quæſtio vertebatur, in qua Juſti ſuorum la-

laborum mercedem, & participationem Regni in Chriſto ſperabant; talemque reſurrectionem Prophetæ, & Apoſtoli, aliique Sancti, uti Tobias & Machabæi, ſibi expectabant, aliiſque fidelibus promittebant, ut eos in hujuſce vitæ miſeriis ſolarentur: non enim niſi bonorum ſpes eſt atque promiſſio.

Objicies 3. Mali non liberantur a ſententia, qua dictum eſt primò parenti: *Morte morieris: Pulvis es, & in pulverem reverteris:* Gen. c. 2. & 3. Ergo ſemper in morte manebunt, neque unquam reſurgent ad vitam.

Reſp. quod lata primo parenti ſententia non illud habebat, quod homo perpetuo manſurus eſſet in morte, ſed quod eſſet certiſſime moriturus; quod quidem per corporis mortem impletur, etiamſi reſurrectio poſtea ſubſequatur. Deinde quemadmodum qui e carcere ducitur ad mortem, e carcere liberari non dicitur, quia liberatio beneficii rationem includit; ita qui a morte ſuſcitatur ad vitam, ut in corpore ſimul, & anima puniatur, non cenſetur a morte liberari, ſed in morte manere, imo de morte tranſire ad mortem, quæ eſt priori morte deterior.

Objicies 4. Chriſti reſurrectio eſt cauſa reſurrectionis in anima, & in corpore: ſed non omnes reſurgent in anima; ergo neque omnes reſurgent in corpore.

Reſp. cum S. Bonaventura in laudato loco, „ quod non eſt ſimile, quia reſurrectio animæ „ eſt tantum ad bonum: ſed reſurrectio corpo„ ris eſt ad bonum, & malum: reſurrectio ani„ mæ fit noſtra voluntate, ſed corporis exi„ gente divinæ juſtitiæ æquitate; ideo iſta

„ eſt

„ eſt omnium, licet non illa.

Objicies 5. Sicut per gratiam Chriſti renaſcimur, ita per ejuſdem gratiam reſurgemus: atqui parvuli qui in materno utero moriuntur, nondum nati ſunt, neque renati per gratiam; ergo neque a morte reſurgent.

Reſp. cum S. Thoma, citato in loco ad 5. „ quod renaſcimur per gratiam Chriſti nobis „ datam, ſed reſurgimus per gratiam Chriſti, „ qua factum eſt, ut naturam noſtram ſuſciperet, quia ex hoc ei in naturalibus conformamur. Unde illi qui in maternis uteris decedunt, quamvis renati non fuerunt per ſuſceptionem gratiæ; tamen reſurgent propter „ conformitatem naturæ ad ipſum, quam conſecuti ſunt ad perfectionem humanæ naturæ „ pertingentes. " Revera enim illi ex corpore & anima conſtant; unde licet extra uterum nati revera non fuerint, in utero tamen nati recte dicuntur.

Quod ſi illud urgere volueris apud Danielem c. 12. v 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt:* Non ergo reſurrecturi ſunt omnes.

Reponemus cum eodem Angel. Doctore, „ quod Auguſtinus lib. 20. de C. D. c. 23. exponit *multi*, id eſt *omnes:* Et hic modus loquendi frequenter invenitur in ſacra Scriptura. Vel particulatio poteſt intelligi quantum „ ad pueros damnatos in limbo; qui quamvis „ reſurgent, non proprie dicuntur evigilare, „ cum nec ſenſum pœnæ nec gloriæ habituri „ ſint: vigilia enim eſt ſolutio ſenſus. " Similia habet etiam S. Bonaventura in loco ſuperius laudato ad 1.

Objicies 6. contra 3. propoſ. cum Eutychio. In 1. ad Cor. 15. v. 50. ſcribit Apoſtolus: *Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt*. Non ergo vera ac propria caro reſurget. Item ibi v. 37. ait: *Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum*. Granum autem quod ſeminatur, non eſt idem numero cum grano, quod naſcitùr. Tum v. 44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*. Ac tandem v. 47. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis. Qualis terrenus, tales terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes*. Quibus evidenter oſtenditur, reſurgentium corpora ſpiritualis cœleſtiſque futura eſſe naturæ.

Reſp. ad 1. cum S. Gregorio in lib. 14. Mor. cap. nunc 56. quod Apoſtolus ibi *carnem vult ſecundum culpam intelligi, non carnem ſecundum naturam. Unde & mox, quia carnem ſecundum culpam diceret, oſtendit ſubdens:* Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. *In illa ergo cœleſtis Regni gloria caro ſecundum naturam erit, ſed ſecundum paſſionum deſideria non erit: quia devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit*.

Ad alterum reſpondet ibidem S. Gregorius, quod *Apoſtolus dicens:* Non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, *hoc inſinuat, quod videmus: quia granum cum culmo, & foliis naſcitur, quod ſine culmo, & foliis ſeminatur. Ille itaque in augmento gloriæ reſurrectionis, non dixit, grano ſeminis deeſſe quod erat, ſed adeſſe quod non erat. Iſte autem dum verum corpus reſurgere denegat, nequaquam dicit adeſſe quod deerat, ſed deeſſe quod erat.*

His

His præterea addit S. Thomas in q. 79. alias 81. ſupplem. a. 1. ad 1. „ quod ſimilitudo non „ currit per omnia, ſed quantum ad aliquid. „ In ſeminatione enim grani granum ſemina„ tum, & natum non eſt idem numero, nec eo„ dem modo ſe habens; cum primo ſemina„ tum fuerit abſque folliculis, cum quibus ta„ men naſcitur. Corpus autem reſurgens erit „ idem numero, ſed alio modo ſe habens; quia „ fuit mortale, & ſurget immortale. “ Hinc in 2. ad Cor. 5. v. 2. idem Apoſtolus ait, quod *in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes.* Quare in illa ſimilitudine non diverſitatem rei conſiderat; nempe quod granum renaſcens numero ſit diverſum ab eo quod ſeminatum eſt, ſed ad ſolam conditionis, & qualitatis diverſitatem attendit; quod etiam quæſtio v. 35. ab ipſo propoſita requirebat: *Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?*

Tandem corpus reſurgentium ſpiritale vocatur, non quia corpus non erit, nec quia corpus erit aereæ æthereæve naturæ, carnem & oſſa non habens; ſed ut ab animali corpore diſtinguatur, quod ad ſui conſervationem neceſſario indiget alimentis, quale etiam fuit Adæ corpus in paradiſo. Dicitur itaque ſpiritale, quia non allmentis egebit, ſed ſola ſpiritus præſentia ad vitam ei ſufficiet; tum etiam propter alias glorioſi corporis dotes, ac eximias qualitates. Nam damnatorum corpora etſi non alimentis egebunt, non tamen omnino ſic erunt ſpiritalia, uti corpora Electorum. Cæleſtes autem ibidem Electi ideo fore dicuntur, quia ſecundum beatam immortalitatem & gloriam Chri-

ſto conformes erunt, qui utpote Dei Filius cœleſtis vere proprieque vocatur.

Hinc quod Lucæ 20. v. 36. Dominus ait, quod filii reſurrectionis æquales futuri ſint Angelis, per ſimilitudinem intelligendum eſt, non per naturam; quia nempe ſicut Angeli cibo potuque non egent, neque nubunt, neque ducunt uxores; ita homines in beata reſurrectione ſimiliter ſe habebunt. Vide contextum. Et hoc etiam in ſenſu quidam ex Patribus cœleſte corpus reſurrecturis in gloria hominibus tribuerunt.

Objicies 7. Carnis reſurrectio plura quidem involvit abſurda: ac primo nequit intelligi, quomodo corpus a vermibus corroſum, a flammis abſumptum, in pulverem redactum, a piſcibus aliiſque animalibus devoratum revocari poſſit ad vitam. Deinde quomodo eæ corporis particulæ, quæ per inſenſibilem tranſpirationem aſſidue evaneſcunt, in idem corpus iterum coaleſcent? Quomodo demum populi, qui humana carne veſcuntur, reſurgendo ſuam iterum carnem aſſument, cum inter ipſos unius caro in carnem alterius ſæpiſſime convertatur.

Reſp. hæc aliaque plura quæ objectant increduli, facile dirimi, ſi attendatur, quod reſurrectio a naturalium cauſarum ordine ac diſpoſitione non pendeat: eſt enim opus ſolius divinæ potentiæ, cujus cauſas ac rationem nequicquam ac temere indagantur. Hinc etſi corporis noſtri materia in pulverem, ſive cinerem redacta fuerit, vel per tranſpirationem evanuerit, vel in carnivoræ belluæ, ſive barbari hominis ſubſtantiam tranſmigraverit; Deus eandem diſcernet, corporique cujus erit, attribuet. Nam

qui

qui ex aliena materia hominem per Verbum ſuum momento creavit, ex propria materia compactum momento quoque reſtituet. Lege S. Auguſtinum in Enchir. c. 90.

Neque tamen particulæ omnes nobiſcum reſurgent, quæ in corpore noſtro a nativitate ad mortem uſque fuerunt; ſed id tantummodo nobis in reſurrectione reddetur, ex quo, quanti vel ante mortem, vel in ætatis anno trigeſimo fueramus, poſſimus venuſta proportione conſtitui. Quare S. Auguſtinus in Enchir. c. 89. & in 22. de C. D. c. 90. mortuorum reſurrectionem comparat cum ſimulacro metalli; quod contritum ac fuſum veterem ſui ſpeciem omnino deperdit, a fuſore tamen conflatur iterum, partibuſque una immixtis in formam priori effigiei conſimilem injicitur, ſicque novum ſimulacrum contrito ſimillimum efformatur.

Hominibus, quos animalia bruta voraverint, cum hæc ad vitam non ſint revocanda, iterum reſtituetur quod in eorum animalium nutritionem fuerat tranſmutatum. Quod vero ad antropophagos attinet, ſive ad hominum comeſtores, claram habemus Auguſtini ſententiam ita ſcribentis in lib. 22. de C. D. c. 20. *Reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuo ſumpta deputanda eſt; quæ ſicut æs alienum, ei redbibenda eſt, unde ſumpta eſt. Sua vero illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui poteſt, etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis etſi omnibus periſſet modis, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remanſiſſet, unde vellet, eam repararet Omnipotens. Sed propter ſententiam Veritatis, qua dictum eſt*, Capillus capitis ve-

ſtri non peribit; *abſurdum eſt, ut putemus, cum capillus hominis perire non poſſit, tantas carnes fame depaſtas atque conſumptas perire potuiſſe.* Subtilius fuſiuſque hac de re agunt S. Thomas tum alibi, tum in lib. 4. contra Gentes c. 81. & in ſuppl. q. 80. alias 82. a. 4. ad 3. 4. & 5. nec non S. Bonaventura in 4. d. 44. a. 2. q. 1.

CAPUT IV.

Ubi nonnulla quæ ad reſurrectionem ſpectant, dubia breviter explicantur.

PLura de reſurrectione Theologi, Sacrique Interpretes inveſtigant, quæ omnia hic adnotare pro inſtituti noſtri ratione nec poſſumus, nec debemus. Breviter itaque ea ſolummodo declarabimus, quæ majoris hic momenti eſſe videntur: ac primo quærimus, an generalis mortuorum reſurrectio uſque ad finem Mundi ſit differenda?

Reſp. affirmative. Nihil enim hac veritate clarius in Scripturis aſſeritur. Ita Job c. 14. v. 12. ait: *Homo cum dormierit, non reſurget, donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo*. Et c. 19. v. 25. *Scio enim quod . . . in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*. Chriſtus etiam Joan. 6. ſe in noviſſimo die reſuſcitaturum fideles ſuos ſæpe ſpopondit. Et alibi paſſim Scripturæ ſignificant in conſumma-

matione ſeculi, ideſt in hujuſce Mundi fine futuram omnium reſurrectionem, & univerſale judicium. Lege Matth. c. 25. Apoc. c. 20. &c. Hanc denique fidem confeſſa eſt Martha, de defuncto fratre Lazaro dicens Joan. 11. 24. *Scio, quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.*

Huic autem generali doctrinæ nil obſtat, quo minus aliqui jam olim ad beatam immortalitatem ex ſpeciali Dei privilegio reſurrexerint; qui proinde ſicut non amplius morituri, ita neque in fine ſeculi cum ceteris mortuis reſurrecturi ſunt, ſed cum corporibus ſuis glorioſis dudum acceptis in judicio comparebunt. Nam imprimis Chriſtus Dominus commune tempus reſurrectionis expectare non debuit; qui propterea ſtatim tertio poſt mortem die ſurrexit, ut exemplo ſuo fidem reſurrectionis noſtræ in fine ſeculi futuræ firmaret.

De Beatiſſima etiam Virgine Dei Matre pie credit Eccleſia, omniumque Theologorum doctrina conſentit, quod redivivo corpore fuerit in Cœlum aſſumpta; ita nempe ut qui oppoſitum affirmaret, temeritatis ſaltem notam incurreret.

Eodem pariter privilegio nonnulli cenſent donatos fuiſſe illos, quorum meminit Matthæus c. 27. v. 52. ubi ait: *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Sed lege Card. Gotti in tract. de fine mundi q. 3. dub. 2. §. 1. & q. 4. dub. 1. §. 1.

11. Quæritur, num reſurrectio naturali, vel ſupernaturali virtute continget?

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 43. a. 1. q. 5. „ Quod in reſurrectione tria ſunt. Pri-
„ mum

„ mum eſt corporis ex pulveribus reformatio.
„ Secundum ipſi corpori reformato animæ unio.
„ Tertium unitorum inſeparabilis colligatio.
„ Primum eſt contra naturam, ideſt contra ſo-
„ litum curſum naturæ, quæ poteſt perfecta
„ deſtruere, non deſtructa reparare. Secundum
„ eſt ſecundum naturam, quod anima optime
„ corpori ſibi organizato, cui deſiderabat uniri,
„ uniatur. Tertium eſt ſupra naturam; ſcilicet
„ quod ex corruptibili fiat incorruptibile, non
„ ſeparabile. Quoniam igitur primum, & ulti-
„ mum eſt non a natura, ſed ſupra, vel con-
„ tra: ideo non eſt dicendum, reſurrectionem
„ naturalem eſſe, ſed ſupra naturam." Legendus
eſt etiam S. Thomas in q. 75. alias 77. ſuppl. a. 3.

III. Quæres, in qua ætate Electi, reprobi-
que reſurgent?

Reſp. quod Beatorum corpora in illa perfe-
ctione reſurgent, quam habet natura in juvenili
ætate. Ut enim inquit Doctor Angel. in q. 81.
alias 83. ſuppl. a. 1. „ Homo reſurget abſque o-
„ mni defectu humanæ naturæ, quia ſicut Deus
„ humanam naturam abſque defectu inſtituit; ita
„ ſine defectu reparabit. Deficit autem humana
„ natura dupliciter. Uno modo, quia nondum
„ perfectionem ultimam eſt conſecuta: alio mo-
„ do, quia jam ab ultima perfectione receſſit.
„ Et primo modo deficit in pueris, ſecundo
„ modo deficit in ſenibus. Et ideo in utriſque
„ reducetur humana natura per reſurrectionem
„ ad ſtatum ultimæ perfectionis, qui eſt in ju-
„ venili ætate, ad quam terminatur motus aug-
„ menti, & a qua incipit motus decrementi.
Ibidem autem ad 2. aſſerit, „ quod non lo-
„ quatur de ætate quantum ad numerum anno-

„ rum

„ rum, ſed quantum ad ſtatum, qui in corpo-
„ re humano ex annis relinquitur. Unde Adam
„ dicitur in ætate juvenili formatus propter ta-
„ lem corporis conditionem, quam primo die
„ formationis ſuæ habuit." Eadem quoque le-
guntur apud S. Bonaventuram in 4. d. 44. p. 1.
dub. 1.

Electi ergo reſurgent in ea mole, robore, totiuſque corporis compoſitione, quæ convenit perfectiſſimæ hominis ætati, qualis circa trigeſimum annum eſſe cenſetur. Quo plerique illud trahunt, quod ad Epheſ. 4. v. 13. Apoſtolus ait: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Vide S. Auguſtinum in lib. 22. de C. D. c. 15.

Idem quoque de corporibus reproborum probabilius putat eſſe dicendum laudatus S. Thomas in q.86. alias 88. ſuppl. a. 1. ſcribens, „ quod
„ Auctor, qui naturam condidit, in reſurre-
„ ctione naturam corporis integre reparabit.
„ Unde quidquid defectus, vel turpitudinis ex
„ corruptione, vel debilitate naturæ, ſive prin-
„ cipiorum naturalium in corpore fuit, totum
„ in reſurrectione removebitur, ſicut febris, lip-
„ pitudo, & ſimilia. Defectus autem, qui ex
„ naturalibus principiis in humano corpore na-
„ turaliter conſequuntur, (ſicut ponderoſitas,
„ paſſibilitas, & ſimilia) in corporibus damna-
„ torum erunt: quos defectus ab Electorum cor-
„ poribus gloria reſurrectionis excludet.

Ex dictis nonnulli probabiliter inferunt, quod Deus in reparanda per reſurrectionem natura non ad reſurgentium merita, vel demerita, ſed ad naturalem ipſam naturæ conſtitutionem at-

ten-

tendet; atque ita unuſquiſque ea pulcritudine facieque reſurget, quam habuit, vel habiturus in juvenili ætate fuiſſet, ſublato defectu omni, omnique errore naturæ: quamvis reproborum vultus dejecti, triſtiſſimique præ deſperatione ac cruciatibus apparebunt. Aliis tamen iſthæc Angel. Doctoris opinio, quod ad reprobos attinet, non probatur. Lege S.Bonaventuram in 4. d. 44. p. 1. a. 3. q. 2. & Eſtium in 4. d. 44. §. 10.

IV. Quærimus de reſurgentium ſtatura. Hac de re Doctor Angel. inquit in q. 81. alias 83. ſuppl. a. 2. „ quod in reſurrectione non reparabitur humana natura ſolum quantum ad idem ſpecie, ſed etiam quantum ad idem numero. Et ideo in reſurrectione non ſolum attendendum eſt quid competat naturæ ſpeciei, ſed quid competat naturæ individui. Natura autem ſpeciei habet aliquam quantitatem, quam nec excedit, nec ab ea deficit abſque errore: quæ tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, & non eſt accipienda ſecundum unam menſuram determinatam. Unumquodque autem individuum in ſpecie humana aſſequitur infra terminos illius latitudinis, aliquem gradum quantitatis quæ competit naturæ individui; & ad hanc perducitur in termino augmenti, ſi non fuerit aliquis error in opere naturæ, per quem ſit aliquid additum vel ſubtractum prædictæ quantitati; cujus quidem menſura accipitur ſecundum proportionem caloris extendentis, & hujuſmodi extenſibilis, quod non eſt ejuſdem virtutis in omnibus: & ideo non omnes reſurgent in eadem quantitate, ſed quilibet reſurget in illa quantitate, in qua fuiſſet in

„ ter-

„ termino augmenti, ſi natura non erraſſet, vel „ defeciſſet: quod autem ſupereſt vel deficit in „ homine, reſecabit vel ſupplebit divina po„ tentia.

Ergo neque gigantes, neque nani corpora monſtruoſæ molis in reſurrectione reſument, ſed ſtaturam viri ſeclusa deformitate convenientem accipient: quia illi ad tantam magnitudinem vitio ſuperabundantis naturæ perveniunt; iſti vero ex naturæ defectu ſufficientem quantitatem minime aſſequuntur. At lege ſuper hoc queſito, S. Auguſtinum in lib. 22. de C. D. cc. 14. & 15.

v. Quæritur, an unuſquiſque in ſexu ſuo reſurget?

Armeni, aliique de quibus Auguſtinus in lib. 22. de C. D. c. 17. opinati fuerunt, quod omnes in virili ſexu reſurrecturi ſint, & quod poſt reſurrectionem ſexus femineus non ſit omnino futurus.

At oppoſitum SS. Patres, Scholæque Doctores affirmant, ex quibus nonnulli id ad fidem pertinere tuentur; uti enim in laudato loco adnotat Auguſtinus: „ Qui utrumque ſexum in„ ſtituit, utrumque reſtituet. Denique & ipſe „ Jeſus interrogatus a Sadducæis, qui negabant „ reſurrectionem, cujus ſeptem fratrum erit „ uxor, quam ſinguli habuerunt, dum quiſque „ eorum vellet defuncti ſemen, ſicut lex præ„ ceperat, excitare. *Erratis*, inquit *Matth.* „ 22. 29., *neſcientes Scripturas*, *neque virtutem* „ *Dei*. Et cum locus eſſet, ut diceret, de qua „ enim me interrogatis, vir erit etiam ipſa, „ non mulier; non hoc dixit: ſed dixit, *In re*„ *ſurrectione enim neque nubent*, *neque uxores* „ *du*-

„ *ducent, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælo.*
„ Æquales utique Angelis immortalitate ac
„ felicitate, non carne: ſicut nec reſurrectione,
„ qua non indiguerunt Angeli; quoniam nec
„ mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus fu-
„ turas negavit eſſe in reſurrectione, non fe-
„ minas: & ibi negavit, ubi talis quæſtio ver-
„ tebatur, ut eam negato ſexu muliebri cele-
„ riore facilitate diſſolveret, ſi eum ibi præno-
„ ſceret non futurum: Immo etiam futurum
„ eſſe firmavit dicendo, *non nubent*, quod ad
„ feminas pertinet; *neque uxores ducent*, quod
„ ad viros. Erunt ergo, quæ vel nubere hic
„ ſolent, vel ducere uxores; ſed ibi hoc non
„ facient " Idem quoque Hieronymus ex ad-
„ ducto Scripturæ textu concludit in epiſt. 27.
„ modo 86. ad Euſtochium.

Opponunt autem, quod Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 13. ſcribit: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Deinde femineus ſexus eſt imperfectus: omnis autem imperfectio in reſurrectione ceſſabit: ergo ſicut in juvenili ætate, perfectaque ſtatura, ita & in virili perfecto ſexu reſurrectio peragetur.

Superfluus tandem in futuro ſeculo femineus ſexus erit, ubi neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ut Angeli; ergo,

Ad 1. reſpondet S. Bonaventura in 4. d. 44. p. 1. dub. 2. quod uti Auguſtinus advertit in citato lib. 22. de C.D. c. 18. *ibi dicitur vir non a ſexu, ſed a virtute, non corporis, ſed mentis, per quem modum mulier facta vir eſt, ſecundum quem modum dicitur in Pſalmo* 1. Beatus vir, qui

qui non abiit in conſilio &c. *quod intelligi etiam poteſt de muliere.*

Ad 2. Femineus ſexus dici poteſt imperfectus relate ad ſexum virilem, qui perfectior eſſe videtur, non autem relate ad ſpeciei naturam, quam ſexus uterque conſtituit. Ut enim ait S. Bonaventura eo in loco, *ſexus femineus eſt a Deo formatus, qui formavit virilem, & ſine ipſo non eſſet perfectio ſpeciei.* Utque docet S. Auguſtinus in lib. 22. de C. D. c. 17. *Corporibus illis vitia detrahentur, natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus femineus, ſed natura.* Denique ſexus femineus ad virilem ſexum non ita ordinatur, ut femina aliquando vir fiat; ſicuti puerilis ætas ac ſtatura ordinate tendit in juvenilem ætatem ſtaturamque, ad quam aliquando pertingit.

Ad 3. Doctor Seraph. reſpondet ibidem, „ quod ſicut viri reſurgent cum ſexu virili, „ non propter generationem, ſed propter perfectionem, & decorem quantum ad Electos, „ ſic feminæ in ſexu femineo: quia tunc a „ membris illis dedecus, & inhoneſtas per omnia auferetur: & quod excitabat ad libidinem, excitabit ad Dei laudem. " Lege S. Auguſtinum in laudato libro c. 17. Sicut ergo virilis ſexus non erit in reſurrectione ſuperfluus, ita neque femineus; & *ſicut*, addit S. Bonaventura, *non erit vis generativa ad uſum generandi, ſed ad perfectionem hominis; ſic etiam erunt membra genitalia ad perfectionem corporis.* Poſtremo erunt tunc homines ſicut Angeli, non per omnimodam ſimilitudinem, ſed quia ab operibus carnis erunt immunes.

Hic quoque notandum eſt, quod neque in da-

damnatis ulli erunt libidinis motus, cum velut abſorpti ab ingenti dolore triſtitiaque, etiamſi complacentia præteritarum libidinum, ob quas damnati ſunt, in ipſorum voluntate remaneat, ab ea tamen nullatenus movebuntur. Quod ſi invicem ſe videntes illi pudeſcent, id ipſorum pœnam ac triſtitiam augebit.

VI. Quæres, an omnia humani corporis membra, capilli, ungues, humoreſque reſurgent?

Reſpondeo, quod ad Electos attinet, dubitandum non eſſe, quin eorum corpora reſurrectura ſint integra, ac perfecta; ita nimirum ut non ea dumtaxat habituri ſint membra, quibuſcum ſunt mortui, verum & illa quibus vel a nativitate, vel caſu aliquo caruerunt. Id enim exigit tum naturalis animæ appetitus, tum divini operis abſoluta perfectio, tum beatæ reſurrectionis integritas. Denique exemplaris cauſa reſurrectionis Electorum eſt ipſa Chriſti reſurrectio, qui, ut ait Apoſtolus ad Philip. 3. v. 21. *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Atqui Chriſtus integer ſine ullo membrorum defectu ſurrexit.

Idipſum etiam de reprobis arbitrantur S. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, & paſſim alii, quibus aſtipulari videtur Auguſtinus ita de reprobis ſcribens in epiſt. 146. modo 205. ad Conſentium c. 2. *Incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum*. Et ſane juſtum videtur, ut reprobi puniantur in membris, quorum uſu peccarunt; proindeque omnia illis reddenda erunt, etiamſi fuerint ante mortem amiſſa. Hanc autem rationem Seraph. Doctor extendit etiam ad ea membra, ſine quibus nati reprobi fortaſ-

taſſe fuerunt ; nam ut ille ait in 4. d. 44. p. 1. a. 3. q. 2. *auferenda eſt quidem deformitas, quæ eſt per diminutionem ; hoc vero eſt propter perfectam punitionem voluntatis, quæ quoniam omnium membrorum fuit rectrix, & omnia habere voluit, licet non habuerit ; ideo in omnibus puniri debet, & torqueri.* At lege Eſtium in 4. d. 44. §. 4., ubi diverſam Durandi opinionem recenſet, ſuamque ſententiam docte declarat.

Communi præterea calculo docent Theologi, quod humores præcipui, utputa ſanguis, tum Electis, tum reprobis in reſurrectione reddentur. Etſi enim illi non ſint proprie humani corporis partes, ad ejus tamen integritatem pertinent, & ad vitam agendam in homine neceſſario requiruntur. Ergo ea in quantitate reſtituentur Electis, quæ ad optimam corporum conſtitutionem exigitur ; reprobis autem, prout juſto Judici, Deo nempe, videbitur. Qui vero excrementitii dicuntur humores in reſurrectione non erunt.

Capilli tandem, & ungues reſurgentibus reſtituentur. Ut enim ait S. Thomas in ſuppl. q. 80. alias 82. a. 2. „ in partibus corporis ani-„ mati quædam ordinantur ad operationes ani-„ mæ exequendas ; ſicut cor, hepar, manus, „ & pes : quædam autem ad conſervationem „ aliarum partium, ſicut folia ſunt ad cooper-„ turam fructuum ; ita etiam capilli, & ungues „ ſunt in homine ad cuſtodiam aliarum par-„ tium : unde ſunt de ſecunda perfectione cor-„ poris humani, quamvis non de prima. Et „ quia homo reſurget in omni perfectione ſuæ „ naturæ, propter hoc oportet, ut capilli, &

„ ungues reſurgant in ipſo.

Hic duo cum Seraph. Doctore notanda ſunt, quorum alterum tradit in 4. d. 44. p. 1. a. 1. q. 2., nempe „ quod ſuperfluitas eſt triplex. „ Una reſpectu totius corporis, & ſpeciei, ut „ eſt ſuperfluitas impuritatis; & hæc non erit „ ibi. Alia eſt ſuperfluitas reſpectu totius cor„ poris in quo eſt, ſed non reſpectu alterius „ propagandi, utpote ſemen; & hæc ſimiliter „ ibi non erit, & hæc eſt ſuperfluitas reſidui„ tatis. Quædam eſt ſuperfluitas reſpectu unius „ partis, tamen in altera non eſt ſuperflua, ſed „ decens, & optime collocata: & talis eſt ſu„ perfluitas, ex qua ſunt capilli, quia illa ma„ teria non eſt neceſſaria ſtomacho; eſt tamen „ bene collocata in capite, & barba.

Alterum vero in eodem a. q. 1. idem S. Doctor adnotat inquiens, „ quod tripliciter eſt „ aliquid vivere. Aut quia recipit influentiam „ vitæ, aut quia diſponit ad vitam, aut quia „ ortum, & conſervationem habet ex actu vi„ tæ. Primo modo vivificatur ſubſtantia cor„ poralis, & caro: ſecundo modo vivit ſpiri„ tus, & humor: & tertio modo capilli, & „ etiam ungues: & quia omnia iſta connexio„ nem habent cum vita, omnia reſurgent.

VII. Quæres, quot & quænam futuræ ſint beatorum corporum dotes?

Reſp. quatuor in ſacris Literis recenſeri, impaſſibilitatem ſcilicet, ſubtilitatem, agilitatem, & claritatem, quæ duobus hiſce verſiculis exprimuntur:

Clari, ſubtiles, agiles, impaſſibileſque,
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

Ejuſcemodi vero beatorum corporum conditio-

tiones a Theologis dotes idcirco vocantur, quod iis veluti quibuſdam ornamentis a Chriſto Electorum corpora dotabuntur. Indicatæ autem fuerunt a Paulo, dum in 1. ad Cor. c. 15. v. 42. ait: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.*

Nota tamen, quod hic impaſſibilitas non ea intelligenda ſit, quæ corruptivam proprie dictam paſſionem excludit; nam & damnatorum corpora ejuſcemodi paſſionis erunt expertia, & immortalia ſunt futura. Beatorum igitur impaſſibilitas quidquid moleſtum, triſte, pœnale, & afflictivum, atque omnino malum eſt, ab ipſorum corporibus removebit. De hac dote legitur in Apocalypſi c. 21. v. 4. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Tum ſubtilitas non eſt accipienda ad illorum ſenſum, qui Sanctorum corpora aeri ſimilia fore dixerunt, quæ nec palpari poſſent ullatenus, nec videri. Iſte enim ſenſus reſurrectionis veritati repugnat; ac multo magis ille, ſecundum quem corpora in ſpiritus convertenda eſſe nonnulli putarunt: uti ſuperiori in cap. dictum eſt. Ea itaque qualitas præſtabit, ut Beati corpus ad inſtar ſpiritus cibo potuque non egeat, ac penetrabile ſit, leve, ſubtile; ita nempe quod anima plene perfecteque dominatura ſit corpori, ſine impedimento per ipſum quaſcumque ſuas operationes exercens. Hinc dotem iſtam Apoſtolus ſpiritalitatem appellat, eandemque

 de-

deſignat etiam v. 47. & 48. ubi ait : ***Primus homo de terra, terrenus, ſecundus homo de cœlo, cœleſtis . . . Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.*** Lege & Matth. c. 22. v. 30.

Agilitas in eo conſiſtit, quod per eam corpus perfecte ſubdatur animæ, ut moventi principio. Per eam quippe fiet, ut corpus ſit ubicunque anima eſſe voluerit, non quidem ſine motu ſucceſſivo, nec ita ut ſimul eſſe faciat corpus in diverſis locis; ſed ut ſumma celeritate, ac facilitate, & velut imperceptibili tempore corpus ad imperium nutumque animæ moveatur in omnem partem, ac ſupra quodlibet elementum, utpute ſupra aerem, ac ſuper aquas, non obſtante inſita corpori gravitate. Hac virtutis, ſive agilitatis dote uſus eſt Chriſtus, quando poſt reſurrectionem e terra ſuper omnes Cœlos aſcendit: ac de ipſa loquitur Iſaias c. 40. v. 31. *Aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Ait quoque Sapiens c. 3. v. 7. quod *Juſti tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*.

Claritas denique alia dos eſt corporum beatorum, ex eo proveniens, quod gloria animæ redundabit in corpus, & quod animæ ſpiritualiter competit, in corpore corporaliter apparebit. Nam tale quiddam licet imperfecte nobis etiam in hac vita contingit. Hominis enim læti, ac bene conſcii vultus ſerenus & quodammodo lucidus eſt; atque omnino ſecundum affectus animi ſolet facies corporis immutari. Erit igitur in corporibus Sanctorum ſplendor quidam oculis conſpicuus, qui index erit gloriæ ſpiritualis exiſtentis in anima; quique claritas, & gloria ab Apoſtolo nuncupatur. Hac de do-

te

te dicit Chriſtus Matth. 13. v. 43. *Tunc Juſti fulgebunt, ſicut ſol in regno Patris eorum*. Lege & Sap. 3. 7. ac Dan. 12. 3.

Ex dictis infertur, beatorum corporum dotes ab aureolis eſſe diverſas. Hæ enim non omnibus, ſed dumtaxat aliquibus Beatis competunt, uti Doctores affirmant; proprieque non corpus, ſed mentem exornant: quamvis Angel. Doctor in 4. d. 49. q. 5. a. 4. quæſtiuncula 3. ſcribat, „ quod ſicut ex gaudio eſſentialis præmii, quod „ eſt Aurea, redundat quidam decor in corpo„ re, qui eſt gloria corporis: ita ex gaudio „ Aureolæ reſultat aliquis decor in corpore; „ ut ſic Aureola principaliter ſit in mente, ſed „ per quandam redundantiam fulgeat etiam in „ carne.

Deſcribi itaque ſic poterit Aureola: Præmium, ſive gaudium accidentale præmio ſive gaudio eſſentiali ſuperadditum, quod illis dumtaxat confertur, qui ſingularem aliquam de humani generis hoſtibus victoriam reportarunt. Et quia triplex eſt hujuſcemodi hoſtis; caro nempe, mundus, atque diabolus; quia inſuper Virgines contra carnem, Martyres contra Mundum, Doctores contra diabolum potiſſimam victoriam obtinebunt; idcirco, ait Seraph. Doctor in 4. d. 33. a. 2. q. 3. *decor quidam erit Doctoribus de converſis per ipſos, & quidam etiam decor, & gaudium erit Martyribus in corpore, qui ſe pro Chriſto paſſionibus expoſuerunt: quidam decor Virginibus in corpore, quod pro Chriſto incorruptum ſervaverunt; & ille decor, vel gaudium de illo decore aureola recte dicitur*. Lege Danielis c. 12. v. 3. Apocal. 7. v. 14. & c. 14. v. 30.

CAPUT V.

In quo de univerſali judicio diſputatur.

QUi rationalis animæ immortalitatem, carniſque reſurrectionem negarunt, conſequenter nullum poſt hanc vitam futurum dixere judicium. Dogma tamen iſtud quoad univerſale judicium, de quo hoc in cap. agimus, adeo certum exploratumque ex Scripturis apparet, ut non immerito aſſeruerit Auguſtinus in lib. 20. de C. D. c. 30. *Nullus vel negat, vel dubitat, per Jeſum Chriſtum tale, quale iſtis ſacris literis prænunciatur, futurum eſſe noviſſimum judicium, niſi qui eiſdem literis neſcio qua incredula animoſitate, ſeu cæcitate non credit.* Eſto itaque

Propoſitio I. Certa fide tenendum eſt, quod futurum ſit univerſale judicium.

Probatur. Et primo quidem Matth. c. 25. v. 31. & ſequen. aperte deſcribitur Chriſti adventus ad judicandum *omnes gentes*, & factorum examen exponitur, ultimoque proferenda ſententia declaratur, ut eant impii *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*

Deinde Joan. c. 5. v. 28. & 29. Chriſtus ait: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Et c.

12.

12. v. 48. *Sermo*, inquit Chriſtus, *quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.*

Teſtatur hoc idem Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 4. v. 5. ita ſcribens: *Nolite ante tempus judicare; quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et in 2. ad Cor. c. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Ex plurimis denique utriuſque Teſtamenti oraculis Catholica veritas iſthæc a SS. Eccleſiæ Patribus demonſtratur, quos inter legendus eſt Auguſtinus in citato lib. 20. de C. D. c. 5. & ſequen. Quare Eccleſia inter fidei articulos hunc quoque profeſſa eſt ſemper, quod Chriſtus *venturus eſt judicare vivos, & mortuos.*

Objicies 1. Nahum c. 1. v. 9. dicitur: *Non conſurget duplex tribulatio.* Quod Lxx. vertērunt: *Non judicabit Deus bis in idipſum.* Atqui nunc Deus de ſingulis hominum operibus poſt mortem judicat: non ergo aliud ſupereſt generale judicium.

Reſp. cum S. Thoma in q. 88. alias 90. ſuppl. a. 1. ad 1. „ quod quilibet homo & eſt ſin„ gularis quædam perſona, & eſt pars totius „ generis humani. Unde & duplex ei judicium „ debetur: unum ſingulare, quod de eo fiet poſt „ mortem, quando recipiet juxta ea, quæ in „ corpore geſſit; quamvis non totaliter, quia „ non quoad corpus, ſed quoad animam tan„ tum. Aliud judicium debet eſſe de eo ſecun„ dum quod eſt pars totius humani generis; ſi„ cut aliquis judicari dicitur ſecundum huma„ nam juſtitiam, etiam quando judicium datur

„ de communitate, cujus ipſe eſt pars. Unde & „ tunc quando fiet univerſale judicium totius „ humani generis per univerſalem ſeparationem „ bonorum a malis; etiam quilibet per conſe- „ quens judicabitur. Nec tamen Deus *judicabit* „ *bis in idipſum*, quia non duas pœnas pro „ uno peccato inferet; ſed pœna quæ ante ju- „ dicium complete inflicta non fuerat, in ulti- „ mo judicio complebitur, poſtquam impii cru- „ ciabuntur quoad corpus & animam ſimul.

At inſtabis. Executio ſententiæ nunquam judicium præcedit: atqui divini judicii ſententia quoad homines reſpicit vel adeptionem regni, vel excluſionem ab illo, uti patet ex Matth. c. 25. Cum ergo nunc aliqui regnum adipiſcantur, aliqui excludantur a regno, videtur non aliud futurum eſſe judicium.

Reſp. ex Angel. Doctore in laudato loco ad 2. „ quod propria ſententia illius generalis ju- „ dicii eſt univerſalis ſeparatio bonorum a ma- „ lis, quæ illud judicium non præcedet. Sed „ etiam nunc quoad particularem ſententiam „ uniuſcujuſque, non plene præceſſit judicii ef- „ fectus; quia etiam Boni amplius poſt judi- „ cium præmiabuntur, tum ex gloria corporis „ adjuncta, tum ex numero Sanctorum com- „ pleto: & mali etiam plus torquebuntur ex „ adjuncta pœna corporis, ac impleto in pœ- „ nis numero damnatorum; quia quanto cum „ pluribus ardebunt, tanto magis ardebunt.

Objicies 2. Idcirco quædam opera in judicio oportet adduci, quod lateat, quid de illis ſit definiendum: atqui jam ante mundi finem definita prorſus cuique eſt vel æterna beatitudo, vel æterna damnatio.

Reſp.

Reſp. S. Thomas ibidem ad 3. „ quod uni-
„ verſale judicium magis directe reſpicit uni-
„ verſalitatem hominum, quam ſingulos judi-
„ candorum, ut dictum eſt. Quamvis ergo cui-
„ libet homini ante judicium erit certa noti-
„ tia de ſua damnatione vel præmio, non ta-
„ men omnibus omnium damnatio vel præmium
„ innoteſcet: unde judicium univerſale neceſſa-
„ rium erit.

Propoſitio 2. Omnes homines, nemine prorſus excepto, in judicio coram Chriſto comparebunt.

Probatur tum ex Scripturæ textibus ſupra relatis, tum ex Rom. 14. v. 10. & ſeq. ubi ſcribit Apoſtolus: *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo*. Item Apoc. 1. v. 7. legitur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus*. Et c. 20. v. 12. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt*. Denique, ne prolixiores ſimus, Act. 10. v. 42. ait Petrus, quod Chriſtus ſibi præceperit, *prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum, & mortuorum*.

Hujuſce autem aſſertionis ratio a S. Thoma in q. 89. alias 91. ſuppl. a. 5. ex eo repetitur,
„ quod poteſtas judiciaria Chriſto homini col-
„ lata eſt in præmium humilitatis, quam in
„ paſſione exhibuit. Ipſe autem in ſua paſſio-
„ ne, ſanguinem pro omnibus fudit, quantum
„ ad ſufficientiam; licet non in omnibus effe-
„ ctum habuit, propter impedimentum in ali-
„ qui-

„ quibus inventum. Et ideo congruum eſt, ut
„ omnes homines in judicio congregentur ad
„ videndum ejus exaltationem in humana na-
„ tura, ſecundum quam conſtitutus eſt a Deo
„ Judex vivorum & mortuorum.

Alia quoque ratio ex S. Bonaventura depromitur in 4. d. 47. a. 1. q. 3. „ Judicium fiet
„ ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ: ergo ſi
„ juſtitia Dei ibi potiſſime manifeſtatur, ergo
„ quantum ad omnia merita, & omnes merentes: ſed non eſt creatura rationalis, quæ non
„ ſit digna bono, vel malo: ergo omnes debent
„ judicari.

Ut autem facile quæ in oppoſitum fiunt argumenta ſolvantur, cum Seraph. Doctore in eodem loco notandum eſt, „ quod judicium di-
„ citur tripliciter, ſcilicet communiter, pro-
„ prie, & appropriate. Judicium communiter
„ dicitur collatio manifeſta meriti ad præmium.
„ Judicinm proprie dicitur diſcuſſio meritorum.
„ & prolatio cum quadam diſcuſſione, & ſen-
„ tentiæ diffinitione. Judicium appropriate di-
„ citur ipſa condemnatio: unde judicatus dici-
„ tur condemnatus. Primo igitur modo omnes
„ judicabuntur, quia omnes conveniunt; & pa-
„ tebit quo modo de omnibus retribuet ſecun-
„ dum merita. Et hoc eſt, quod dicit Apo-
„ ſtolus: *Omnes manifeſtari oportet*. Secun-
„ do modo, prout dicitur judicium diſcuſſio-
„ nis, non omnes judicabuntur, ſed erunt qua-
„ tuor ordines, ſicut diſtinguit Beatus Grego-
„ rius, & Magiſter ponit in litera. Tertio
„ modo, ſecundum quod dicitur judicium con-
„ demnationis, judicabuntur mali ſolum: &
„ iſtud judicium incipit in præſenti per execu-
„ tio-

„ tionem in infidelibus, & per expoliationem in „ dæmonibus, & conſummabitur in futuro. „ Unde judicium non iterabitur, ſed conſum- „ mabitur.

Quantum ergo ad judicium retributionis attinet, dicendum eſt, quod judicandi ſint omnes, ſive fideles, ſive infideles, ſive boni, ſive mali, ſive parvuli, ſive adulti, quia unuſquiſque ex divina ſententia recepturus eſt præmium merito correſpondens. Neque loquendo de parvulis, obſtat illud Apoſtoli ex 2. ad Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Nam licet parvuli cum eſſent in corpore, propria voluntate, & actione nil geſſerint, aliena tamen voluntate, & actione aliquid habuerunt, vel nempe baptiſmalem gratiam, vel originale peccatum, quo ad dexteram vocari, vel ad ſiniſtram rejici in judicio mereantur. Et ideo S. Auguſtinus in epiſt. 107. nunc 217. ad Vitalem c. 8. ſcribit: „ Scimus etiam parvulos „ ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, re- „ cepturos vel bonum, vel malum. Geſſerunt „ autem non per ſeipſos, ſed per eos, quibus „ pro illis reſpondentibus, & renuntiare diabo- „ lo dicuntur, & credere in Deum; unde & „ in numero fidelium computantur, pertinen- „ tes ad ſententiam Domini dicentis: *Qui cre-* „ *diderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* „ Propter quod & illis, qui hoc ſacramentum „ non accipiunt, contingit quod ſequitur: *Qui* „ *autem non crediderit, condemnabitur.* &c.

Diſcuſſionis autem judicio non omnes judicabuntur. Uti enim ait S. Thomas in q. 89. alias

alias 91. ſupplem. a. 6. *Diſcuſſio meritorum non fit, niſi ubi eſt quædam meritorum commixtio, bonorum cum malis:* Sunt vero nonnulli, in quibus iſta commixtio non habetur. Quare S.Gregorius in lib. 26. Mor. c.25. quatuor hominum ordines in extremo judicio futuros affirmat. Erunt enim duo ordines Electorum; prior nempe eorum qui judicabunt, poſterior eorum qui judicabuntur: ac duo etiam reproborum ordines erunt; alter eorum qui judicabuntur, alter illorum qui jam præjudicati tunc ſine judicio damnabuntur.

De primo Electorum ordine Chriſtus ait Matth. 19. v. 28. *Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Legitur & Sap. 3. v. 8. quod Juſti *judicabunt nationes*. Ac demum Apoc. 3. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo*.

Ex quibus, necnon ex aliis Scripturarum oraculis dicendum eruitur, quod quidam in die illa judicaturi ſint, nec tantum Apoſtoli, ſed & alii; ii ſcilicet omnes, qui illam Chriſtianæ vitæ perfectionem, ad quam Evangelica conſilia ducunt, quamque ſectati ſunt Apoſtoli, fuerint aſſecuti. Hi enim omnes in duodenario illo Apoſtolorum numero, & in duodecim thronis intelliguntur; ſicut & in duodecim tribubus univerſa judicandorum multitudo ſignatur. Lege S. Auguſtinum in lib. 20. de C. D. c. 5. Et ſane ſpeciali honore in judicio eminere illi merentur, qui ſpecialius ſe Deo dicarunt; nempe non tantum generalia præcepta omnibus neceſſaria implendo, ſed etiam id, quod ſolis perfectioribus imperatur.

At

At hic quæret aliquis, quomodo qui Evangelicam perfectionem ſectati fuerint cum Chriſto judice judicabunt?

Reſp. quod pluribus modis poteſt quis de altero judicare. Primo per comparationem, oſtendendo videlicet, hos vel illos aliorum comparatione eſſe merito judicandos, & majori pœna, vel præmio proſequendos: & hoc modo non tantum Boni judicabunt malos, ſed etiam Boni a melioribus judicabuntur, & mali eos qui pejores fuerint, judicabunt. Unde Ninivitæ, & Regina Auſtri, necnon Tyrii, ac Sidonii, ipſique Sodomitæ incredulos Judæos judicaturi ſunt; uti Matth. 11. & 12. Chriſtus affirmat.

Secundo judicare quis dicitur, quatenus judici, Chriſto nempe, conſentit, ejus ſententiam approbando. Atque iſte judicandi modus Juſtis omnibus eſt communis. Unde Apoc. 19. v. 1. legitur: *Audivi vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium, Alleluja: Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt: Quia vera, & juſta judicia ſunt ejus.*

Tertio dicitur aliquis judicare per quandam aſſeſſoriam dignitatem. Id autem nonnulli ſic explicant, quod in illo judicio omnibus apparebit eorum dignitas ſupra ceteros; ita nempe ut omnes manifeſte cognoſcant, quod eorum vita tantæ perfectionis extiterit, quæ judiciaria diſcuſſione non egeat, ſed potius dignos honorabili conſeſſu circa tribunal Judicantis efficiat. At quia Chriſtus Matth. 19. ſeſſioni ſuperaddit judicandi actum, quaſi aliud ſit ſedere, aliud judicare; & quia ſeſſio, etiam per ſe ſumpta, in Scriptura tropice nobis actum aut po-

poteſtatem judicantis inſinuat ; idcirco dictæ expoſitioni addendum videtur, quod Apoſtoli, omneſque Evangelicæ perfectionis ſectatores cum Chriſto judicaturi ſint, quia præter allatam confeſſionis dignitatem, etiam judicialis ſententiæ rationem in aliorum notitiam proferent deducentque ; ut nempe hoc pacto ipſa juſtitiæ ac ſententiæ divinæ revelatio per eos in aliorum mentibus facta, miniſteriale judicium a quibuſdam Theologis rectiſſime nuncupetur.

Hinc Richardus a S. Victore, quem laudat S. Thomas in q. 89. alias 91. ſuppl. a. 1. in tractatu de judiciaria poteſtate ait : *Hoc erit Apoſtolicos viros judicandorum quemlibet judicare, dandæ ſententiæ rationem oculis eorum ingerere . . . . Nam ex illo divini ſplendoris lumine quod immediate ſuſcipiunt, ad inferiora refundendo, judicandorum quibuslibet, tam meritorum, quam retributionum qualitatem haud dubia viſione oſtendunt.*

In altero Electorum ordine illi erunt, qui cum Evangelicam perfectionem aſſecuti non fuerint, propter plures vitæ maculas, quas tamen miſericordiæ operibus abſtergere conati fuerunt, ſtabunt miſericorditer judicandi, & ab iis qui primi ſunt Ordinis, in æterna tabernacula recipiendi. His in dextera conſiſtentibus dicturus eſt Chriſtus : *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c.* Matth. 25. v. 35.

Erunt in tertio ordine, qui Chriſti fide ſuſcepta ſecundum eam vivere detrectarunt, neque peccata ſua purgare per pœnitentiam & per miſericordiæ opera ſategerunt. Qui proinde ſine miſericordia judicandi, illud a Chriſto audient Matth. 25. v. 42. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare &c.* In

In quarto demum ordine omnes illi erunt, qui fidem Chriſti nunquam ſuſceperunt, de quibus Joan. 3. v. 16. ipſe Chriſtus ait: *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi a Judice non ſit in eos ferenda condemnationis ſententia, cum generaliter omnes & ſecundum omnia ſua opera ſint judicandi; ſed judicandi negantur diſcuſſionis judicio, eo nempe modo, quo nec perfectæ ſanctitatis homines judicabuntur, quia tam horum ad ſalutem quam illorum ad damnationem cauſa erit adeo manifeſta, ut neceſſe non ſit merita diſquirere, & bona opera conferre cum malis, quando & hi ob ſanctitatis excellentiam Chriſto conjunctiſſimi, & illi ob infidelitatem omne pietatis opus excludentem a Chriſto alieniſſimi publice cognoſcentur. Unde & eos præjudicatos vocat Gregorius, evidentia nempe delicti, non prolatione ſententiæ.

Hæc vero omnia non proprie, ſed quodam ſermonis ſchemate dicta ſint ad eorum ſimilitudinem, quæ in judiciis humanis aguntur. Nam alioqui etiam in infidelium cordibus Judex efficiet, ut ſe juſte damnari tum ob infidelitatem, tum ob alia peccata diſtincte intelligant; ſicut & Sancti perfecti probe cognoſcent, ſe accepta peccatorum omnium remiſſione, propter ſua bona opera coronari.

Quæri hic præterea poteſt, num judicandi ſint etiam Angeli ſive boni, ſive mali. Qua in re Angelici Doctoris ſententia tenenda eſt, qui in q. 89. al as 91. ſuppl. a. 8. ait, „ quod judicium diſcuſſionis nullo modo habet locum „ neque in bonis Angelis, neque in malis; quia „ neque in bonis poteſt aliquid mali inveniri, „ ne-

„ neque in malis aliquid boni ad judicium pertinens. Sed ſi loquamur de judicio retributionis, ſic eſt diſtinguenda duplex retributio: „ Una reſpondens propriis meritis Angelorum; „ & hæc a principio fuit utriſque facta, dum „ quidam in beatitudine ſublimati ſunt, quidam vero in miſeria demerſi. Alia retributio eſt, quæ reſpondet meritis bonis, vel „ malis per Angelos procuratis: & hæc retributio in futuro judicio fiet; quia boni Angeli amplius gaudium habebunt de ſalute eorum, quos ad meritum induxerunt; & mali „ amplius torquebuntur, multiplicata malorum „ ruina, qui per eos ad mala ſunt incitati. „ Unde directe loquendo judicium neque ex „ parte judicantium, neque ex parte judicandorum erit Angelorum, ſed hominum: ſed „ indirecte quodammodo reſpiciet Angelos, in „ quantum actibus hominum fuerunt commixti." Lege etiam S. Bonaventuram in 4. d. 47. a. 1. q. 2.

Ut vero manifeſtius demonſtretur, quod SS. Angeli in judicantium numero recenſendi non ſint, attendenda eſt S. Thomæ doctrina, quam tradit in laudata q. a. 3. Legitur enim Joan. 5. v. 27. *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt*. Ex hoc autem teſtimonio ita ibi Doctor Angel. argumentum inſtituit: „ Aſſeſſores Judicis debent Judici eſſe conformes. Judicium autem Filio hominis attribuitur, quia ſecundum humanam naturam „ omnibus apparebit tam bonis, quam malis; „ quamvis tota Trinitas judicet per auctoritatem. Et ideo etiam oportet ut Aſſeſſores „ Judicis eandem naturam habeant, in qua poſ-

„ ſint

„ ſint a bonis, & malis videri, & ſic Angelis „ non competit judicare. Quamvis Angeli et„ iam aliquo modo poſſint dici judicare, ſcili„ cet per ſententiæ approbationem.

Quod ſi quis illud objecerit Matth. 25. v. 31. *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo* &c. Reponemus cum S. Thoma in citato loco ad 1. *quod Angeli cum Chriſto venient non ut judices, ſed ut ſint teſtes humanorum actuum, ſub quorum cuſtodia homines bene, vel male egerunt.* Ait etiam S. Bonaventura in 4. d. 47. a. 1. q. 2., *quod auctoritates illæ, quæ dicunt, quod Dominus veniet cum Angelis, intelligendæ ſunt, quia veniet cum Angelis non judicantibus, ſed miniſtrantibus*. Hanc quoque expoſitionem tradit Chryſoſtomus hom. 70. alias 80. in Matth.

Notamus hic inſuper, quod in die judicii manifeſta unicuique fient non ſua tantum bona ac mala facta, verum & aliorum omnium, uſque ad occultiſſima mentium cogitata; juxta ſcilicet carmen illud, quod S. Bernardo tribuitur,

Cuncta ibi cunctorum cunctis arcana patebunt.

Id ex Scripturis non obſcure colligitur. Eccleſiaſtæ enim c. 12. v. 14. legitur: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit*. Et Matth. 10. v. 26. *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur*. Denique Paulus in 1. ad Cor. 4. v. 5. ait: *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*.

Et ſane cum in illo judicio judicandi ſint omnes ſecundum omnia opera ſua, ut juſtitia

Dei judicantis clare perfecte que omnibus pateat, oportebit, ut omnium opera omnibus innoteſcant, non ſolum in genere, ſed & in particulari, neque tantum cognitione facti, ſed etiam juris; ut nempe cognoſcatur ab omnibus, quod vel bona ſint vel mala, & quam bona vel quam mala, & quibus proinde vel præmiis digna, vel pœnis: & ideo Apoſtolus ad Rom. 2. v. 5. diem judicii vocat *diem revelationis juſti judicii Dei*; in quo ſcilicet juſtitia Dei judicantis omnibus manifeſte patebit.

Hæc autem ut clariora reddantur, advertimus cum S. Thoma in q. 87. alias 89. ſuppl. a. 1. „ quod ſicut dicitur Rom. 2. *in die cum* „ *judicabit Dominus*, *teſtimonium unicuique ſuæ* „ *conſcientia reddet*, *& cogitationes erunt accu*„ *ſantes*, *& defendentes*. Et quia oportet, quod „ teſtis, accuſator, & defenſor in quolibet ju„ dicio habeat eorum notitiam, quæ in judi„ cio verſantur: in illo autem communi judi„ cio omnia opera hominum in judicium ve„ nient; oportet, quod omnium operum ſuo„ rum quiſque tunc notitiam habeat. Unde „ conſcientiæ ſingulorum erunt quaſi quidam „ libri continentes res geſtas, ex quibus judi„ cium procedet; ſicut etiam in judicio huma„ no regiſtris utimur. Et iſti ſunt libri, de „ quibus Apoc. 20. dicitur: *Libri aperti ſunt*, „ *& alius liber apertus eſt*, *qui eſt vitæ*; „ *& judicati ſunt mortui ex his*, *quæ ſcripta* „ *erant in libro ſecundum opera ipſorum*: Ut „ per libros, qui dicuntur ſic aperti, ut Au„ guſtinus exponit 20. de C. D. c. 14. ſignifi„ centur Sancti novi & veteris Teſtamenti, „ in quibus Deus oſtendit, quæ mandata fieri

„ juſ-

„ juſſiſſet. Unde, & Richardus de S. Victore „ in tract. de judiciaria poteſtate dicit, *erunt* „ *corda eorum quaſi quædam Canonum decreta*. „ Sed per librum vitæ, de quo ſubjungitur, „ intelliguntur conſcientiæ ſingulorum, quæ di- „ cuntur ſingulariter *liber unus*, quia una vir- „ tute divina fiet, ut cunctis ad memoriam „ ſua facta revocentur. Et hæc vis inquantum „ ad memoriam homini reducet ſua facta, *li-* „ *ber vitæ* dicitur. Vel per primos libros, con- „ ſcientiæ intelliguntur; per ſecundum, ſenten- „ tia Judicis in ejus providentia deſcripta.

Quod autem unuſquiſque aliena etiam opera in alterius conſcientia leget, adeo ut omnia, ſive bona, ſive mala, quæ in vita quis geſſit, manifeſtanda ſint omnibus; ita Doctor Angel. in eadem q. a. 2. demonſtrat: „ In ultimo & „ in communi judicio oportet, quod divina ju- „ ſtitia omnibus evidenter appareat, quæ nunc „ in pleriſque latet. Sententia autem condem- „ nantis vel præmiantis juſta eſſe non poteſt, „ niſi ſecundum merita vel demerita profera- „ tur. Et ideo ſicut oportet, quod Judex & „ Aſſeſſor Judicis merita cauſæ cognoſcant, ad „ hoc quod juſtam ſententiam proferant, ita „ oportet ad hoc quod juſta ſententia appareat, „ quod omnibus ſententiam cognoſcentibus me- „ rita innoteſcant. Unde quia ſicut cuilibet „ nota erit ſua præmiatio & ſua damnatio, ita „ & omnibus aliis innoteſcet; oportet, quod „ ſicut quilibet ſua merita vel demerita redu- „ cet ad memoriam, ita etiam & aliena ejus „ cognitioni ſubjaceant. " Videndus eſt etiam hac de re S. Bonaventura in 4. d. 43. a. 3. q. 1. 2. & 3.

Ex dictis denique in lib. 19. c. 13. pag. 217. patet, quod Chriſtus etſi ex divina poteſtate judicaturus ſit, apparebit tamen in forma humanitatis aſſumptæ. Hinc Matth. 24. v. 30. legitur: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majeſtate.* Item Act. 1. v. 11. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Aſcendit autem in humana forma corporeis oculis aſpectabilem: ergo & in eadem veniet ad judicandum.

Hanc humanitatis formam ſummo ſplendore gloriaque circumdatam omnes tunc Electi, reprobique videbunt; ſoli tamen Electi gloriam divinitatis aſpicient. Ut enim ait S. Bonaventura in 4. d. 48. a. 1. q. 2. „ Talis forma omnino eſt improportionabilis oculis peccatoris, & improportionabilis oculis omnibus, qui non ſunt ſublimati per gloriam, vel per ſuperabundantiam gratiæ; & quia reprobis non dabitur gratia, nec ſimpliciter, nec ad tempus; ideo non videbunt. Ratio autem, quare non dabitur eis virtus, quæ faciat eorum aſpectum habilem ad videndam illam lucem, eſt illa quam tangit Iſidorus, & Auguſtinus, quia ſi haberent oculum aptum, haberent ſummam delectationem, quam impoſſibile eſt eſſe, & indecens in peccatoribus, " Et hæc ad inſtitutum noſtrum plus quam ſatis. De particulari autem judicio nihil hic addimus, cum ex dictis in lib. 3. c. 9. evidenter appareat, quod peragatur illud ſtatim ac anima a corpore ſeparatur.

CAPUT VI.

Quod Electorum æterna ſint gaudia, & reproborum etiam æterna ſupplicia.

INter portentoſa quæ Origeni tribuuntur errata, iſtud quoque a S. Thoma, aliiſque non paucis recenſetur, quod Platonicorum figmenta ſequens affirmare præſumpſerit, non ſolum impiorum Angelorum hominumque miſeriam, verum & Sanctorum beatitudinem aliquando eſſe finiendam, & quadam viciſſitudine commutandam: quamvis arbitrentur aliqui Origenem æternitatem dumtaxat negaſſe pœnarum, ſicuti Armeni, & nonnulli Anabaptiſtæ, ac Sociniani negarunt. At oppoſitum ſana ſemper ac Catholica Fides aſſeruit. Eſto itaque.

Propoſitio. Tum Electorum felicitas, tum reproborum miſeria eſt æterna.

Probatur. In Pſalmo 83. v. 5. legitur: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Sap. 5. v. 26. *Juſti autem in perpetuum vivent.* Dan. 12. v. 2. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.*

Item Matth. 25. v. 46. ait Chriſtus: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Et Lucæ 16. v. 26. *Chaos magnum inter nos, & vos firmatum eſt: ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde*

huc tranſmeare. Ac tandem ſpeciatim loquendo de reproborum pœnis, nota ſunt quæ leguntur Iſaiæ 66. v. 24. *Ignis eorum non extinguetur*. Et in 2. ad Theſſal. c. 1. v. 9. *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*. Denique Apoc. 20. v. 10. *Cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum*.

Patres etiam hoc idem dogma perpetuo tradiderunt. Hieronymus in c. 25. Matth. ſcribit: *Prudens Lector adverte, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum*. Auguſtinus in lib. contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas c. 6. inquit: *Si miſericordia nos provocat credere, non futurum impiorum ſine fine ſupplicium; quid de præmio juſtorum dicturi ſumus, cum in utraque parte, eodem loco, eadem ſententia, eodem verbo pronuncietur æternitas? An iterum etiam juſtos ex illa ſanctificatione, & vita æterna in peccatorum immunditiam, atque in mortem relapſuros eſſe dicemus? Abſit hoc a Chriſtianæ fidei veritate*. Et Fulgentius in lib. de fide ad Petrum c. 43. ait: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites . . . . quod ex ejus ore juſti æternique judicii ſempiterna atque incommutabili prolata ſententia, iniqui omnes* ibunt in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam: *iniqui ſemper arſuri cum diabolo, juſti autem regnaturi ſine fine cum Chriſto*. Denique in Athanaſii Symbolo profitemur: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum*.

Multiplici quoque ratione theſis iſta firmatur. Et primo quod ad beatitudinis æternitatem pertinet, illam Doctor Angelicus ita eviden-

denter oſtendit in 1. 2. q. 5. a. 4. „ Cum ipſa beatitudo ſit *perfectum bonum & ſufficiens*, „ oportet, quod deſiderium hominis quietet, „ & omne malum excludat. Naturaliter autem „ homo deſiderat retinere bonum quod habet, „ & quod ejus retinendi ſecuritatem obtineat; „ alioquin neceſſe eſt, quod timore amittendi „ vel dolore de certitudine amiſſionis affliga„ tur. Requiritur igitur ad veram beatitudi„ nem, quod homo certam habeat opinionem, „ bonum quod habet, numquam ſe amiſſurum: „ Quæ quidem opinio ſi vera ſit, conſequens „ eſt, quod beatitudinem nunquam amittet: ſi „ autem falſa ſit, hoc ipſum eſt quoddam ma„ lum, falſam opinionem habere; nam *falſum* „ eſt malum intellectus, ſicut *verum* eſt bo„ num ipſius; ut dicitur in 5. Ethicorum. c. 2. „ & 3. Non igitur jam vere erit beatus, ſi „ aliquod malum ei ineſt.

„ Deinde perfecta beatitudo hominis in vi„ ſione divinæ Eſſentiæ conſiſtit. Eſt autem „ impoſſibile, quod aliquis videns divinam Eſ„ ſentiam, velit eam non videre: quia omne „ bonum habitum quo aliquis carere vult, aut „ eſt inſufficiens, & quæritur aliquid ſufficien„ tius loco ejus; aut habet aliquod incommo„ dum annexum, propter quod in faſtidium „ venit. Viſio autem divinæ Eſſentiæ replet „ animam omnibus bonis, cum conjungat fon„ ti totius bonitatis; unde dicitur in Pſal. 16. „ *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: & Sap. „ 7. dicitur: *Venerunt mihi omnia bona pariter* „ *cum illa*; ſcilicet cum contemplatione ſa„ pientiæ. Similiter etiam non habet aliquod „ incommodum adjunctum; quia de contem-

„ platione ſapientiæ dicitur Sap. 8. *Non habet* „ *amaritudinem converſatio illius , nec tædium* „ *convictus ejus* .

„ Sic ergo patet , quod propria voluntate „ Beatus non poteſt beatitudinem deferere. Similiter etiam non poteſt eam perdere Deo „ ſubtrahente ; quia cum ſubtractio beatitudi„ nis ſit quædam pœna , non poteſt talis ſub„ tractio a Deo juſto Judice provenire , niſi „ pro aliqua culpa ; in quam cadere non po„ teſt qui Dei eſſentiam videt , cum ad hanc „ viſionem ex neceſſitate ſequatur rectitudo vo„ luntatis . Similiter etiam nec aliquod aliud „ agens poteſt eam ſubtrahere: quia mens Deo „ conjuncta ſuper omnia elevatur ; & ſic ab „ hujuſmodi conjunctione nullum aliud agens „ poteſt ipſam excludere . Unde inconveniens „ videtur, quod per quaſdam alternationes tem„ porum tranſeat homo de beatitudine ad mi„ ſeriam , & e converſo ; quia hujuſmodi tem„ porales alternationes eſſe non poſſunt , niſi „ circa ea quæ ſubjacent tempori & motui.

Denique ut probetur , quod damnatorum etiam ſint æterna ſupplicia , efficax quam maxime eſt ratio , quam Seraph. Doctor adducit in 4. d. 44. p. 2. a. 1. q. 1. „ Peccator cum pec„ cat , peccat contra bonum æternum , & infi„ nitum ; & ex hoc dignus eſt cruciatu æter„ no . Dum in peccato perſeverat , peccat in „ ſuo æterno ; ideſt peccandi propoſito æterno: „ & dum deceſſerit , non eſt amplius locus meri„ ti , ac per hoc non remiſſionis peccati ; ideo „ ſemper eſt culpa ; & quia culpa ordinatur ad „ pœnam , ſemper debet eſſe in pœna . Quia „ igitur peccat in bonum æternum , ideo cru-

„ ciatu æterno eſt dignus ; ſed quia in ſuo æ-
„ terno, ideo cruciatum æternum aſſequitur.

Objicies 1. In Pſalmo 76. v. 8. 9. 10. legitur : *Numquid in æternum projiciet Deus : aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc ? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem ? Aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas ?* Item in Pſalmo 102. v. 9. *Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur* . Ex quibus profectò patet , quòd damnatorum ſupplicia non erunt æterna : patetque præterea , quod ſi quandoque in Scripturis æterna dicuntur, æternitatis nomine non interminabilis pœnarum duratio, ſed diuturnitas tantum ac prolixa ſeculorum ſucceſſio denotetur. Et ſane tam hebraicum עולם *bolam* , quam græcum vocabulum τὸ αἰών, ſeculum, mundum, diuturnamque durationem non raro ſignificant : hiſce vero vocabulis in Scriptura pœnæ duratio exprimitur, quæ reprobis reſervatur.

Reſp. quod in utroque Pſalmo ſit ſermo de pœnis, quibus Dei populus in hac vita vexatur; has enim Pſalmiſta negat fore perpetuas illis , qui ad Deum per veram pœnitentiam convertuntur . Et ſenſus iſte ex utriuſque loci contextu evidenter apparet, præſertim vero ex Pſal. 102., ubi *miſericoticordia Domini ſuper timentes eum* ſæpius commendatur . Denique in laudato ſuperius Apocalypſeos teſtimonio cruciandi dicuntur improbi *in ſecula ſeculorum* . At neminem latet hanc Latinorum emphaſim , quemadmodum Græcorum εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Hebræorumque עד-עולם מעולם *mebolam had-lolam*, terminum exitumque prorſus excludere .

Le-

Lege S. Auguſtinum in lib. 21. de C. D. & 23. & in lib. contra Priſcill. & Origen. cc. 5. & 6.

Objicies 2. Iſaias c. 24. v. 22. de reprobis ait: *Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere; & poſt multos dies viſitabuntur*. Ex quibus apparet, quod reprobi tandem Deo eos viſitante ſint a ſuppliciis eruendi.

Reſp. quod objecto in loco viſitatio non in bonam, ſed in malam partem accipitur, ita ut iſte ſit ſenſus: Poſt quantumcumque temporis ſpatium adhuc viſitabuntur in lacu, & barathro infernali, perpetua continuatione pœnarum: quia juxta eundem Prophetam c. 66. v. 24. *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Vide Hieronymum Commentario in hunc locum. Sed & in eodem capite v. 21. in malam partem viſitatio ſumitur: *In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cœli &c.* Alibi quoque dicitur Deus viſitare iniquitatem patrum in filios.

Objicies 3. S. Hieronymus Comment. in c. 66. Iſaiæ exponens ea verba: *Ignis eorum non extinguetur*; Origeniſtarum opinionem recitat, quin refellat, imo pluribus eam Scripturarum textibus confirmare conatur. Alibi etiam, uti in 1. adverſus Pelagianos dialogo, ita loquitur, quaſi quod ſoli dæmones, vel cum iis ſoli homines infideles ac prorſus impii in perpetuis pœnis ſint futuri, ceteri vero omnes aliquando per Dei miſericordiam liberandi.

Reſpondet argumento ipſemet Hieronymus in ſua contra Ruffinum Apologia, ſe in Commentariis plura ex aliorum ſententia non ap-

pro-

probando, ſed tantum referendo dixiſſe. Hinc aliis in locis Origenis errorem impugnat, ut patet ex adducto S. Doctoris teſtimonio ſuper c. 25. Matthæi, cui & alterum addimus ex Comment. in c. 3. Jonæ, ubi Hieronymus adverſus eos, qui diabolum in die judicii pœnitentiam acturum ajebant, hæc inter alia ſcribit: *Sed hoc, quia ſacra Scriptura non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor malorum eſt, & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia poſſe ſalvari, de noſtris mentibus abjiciamus. Et ſciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: de his dici, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Denique dum S. Doctor in dialogo contra Pelagianos, aliiſque in locis affirmat, fidelium pœnas aliquando finiri, de illis loquitur, qui cum venialium dumtaxat peccatorum reatu decedunt. Hinc in citato dialogo ait: *Diabolum, & ſatellites ejus, omneſque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.*

Objicies 4. Vindicativa juſtitia poſtulat, ut pœna peccato reſpondeat. Ut enim legitur Deut. 25. v. 2. *Pro menſura peccati erit plagarum modus.* Injuſtum ergo videtur, quod pro momentaneo brevique peccato pœna inferatur æterna.

Reſp. quod ſi inter peccatum & pœnam ſervanda eſſet temporis æqualitas, jam vix ulla etiam apud homines juſtitia ſervaretur. Plerum-

rumque enim pœna ſi tota penſetur, multo diuturnior eſt crimine quod punitur. Hoc autem nec ipſe Origenes aſſeruit, qui tandem poſt multas ſeculorum revolutiones ſpem ſalutis apoſtatis Angelis impiisque hominibus faciebat. Dicendum eſt igitur, quod ſicuti apud homines non eſt injuſtum, ut propter ſacrilegium, adulterium, vel homicidium brevi tempore perpetratum in perpetuum quis vita privetur; aut perpetuo carcere vel exilio puniatur; quantum enim eſt ex parte judicis ejuſque ſententiæ, ſupplicia quædam finem omnino non habent; ita injuſtum apud Deum non eſt, ut propter mortale peccatum, quantumvis breve ſi temporis mora ſpectetur, æterno quis ſupplicio addicatur. Non enim ex duratione peccati, ſed ex ipſius gravitate & quaſi pondere ſpectanda eſt ejuſdem peccati ad pœnam æqualitas; ſicuti e contrario æqualitas boni operis ad mercedem non æſtimatur ex tempore, ſed ex operis dignitate. Ergo quemadmodum bonum opus, puta Martyrium, quantumcumque breve apud Deum juſtum Judicem coronam meretur æternam; ita malum opus, ut fornicatio vel blaſphemia, æternum ſupplicium demeretur. Hanc autem tanti demeriti rationem jam ſupra ex S. Bonaventura notavimus, eamque fuſius expoſitam legent Candidati apud Auguſtinum in lib. 21. de C. D. cc. 10. 11. & 12. & apud Gregorium M. in lib. 34. Mor. c. 19. alias 16.

Objicies 5. Juſtus Judex non ad vindictam, ſed ad correctionem pœnam infligit: unde 2. Ethic. c. 2. vel 3. dicitur, quod *pœnæ ſunt quædam medicinæ*. Ergo Deus non vindictam, ſed

po-

potius correctionem intendit : atqui divina intentio fruſtrari non poteſt: ergo homo aliquando corrigitur, dum à Deo punitur ; cumque correctus fuerit, non ultra amplius punietur.

Reſp. cum S. Bonaventura in loco ſupra citato, „ quod Deus punit amore juſtitiæ, non „ vindictæ; & quamvis non puniat ad corre„ ctionem, punit tamen ad juſtitiæ manifeſta„ tionem. Aliter enim ſunt puniendi corrigi„ biles, aliter incorrigibiles. Si quando tamen „ legatur, quod Deus ulciſcitur ſe de ſuis ini„ micis, & vindicat ſe de eis, hoc non eſt in „ præjudicium juſtitiæ; quia cum ipſe ſit ju„ ſtitia, vindicare ſe non eſt aliud, quam „ ſervare juſtitiam. Hoc autem in homine non „ contingit, qui non eſt juſtus, ideo non de„ bet appetere vindicare ſe.

Notat inſuper S. Thomas in q. 100. ſuppl. a. 1. ad 3. „ quod pœnæ quæ infliguntur his „ qui a Civitatis ſocietate non penitus ejiciun„ tur, ſunt ad correctionem eorum ordinatæ; „ ſed illæ pœnæ per quas aliqui totaliter a „ Civitatis ſocietate exterminantur, non ſunt „ ad correctionem eorum: poſſunt tamen eſſe „ ad correctionem & tranquillitatem aliorum „ qui in Civitate remanent: & ita damnatio „ æterna impiorum eſt ad correctionem eorum „ qui nunc ſunt in Eccleſia. Non enim pœnæ „ ſunt ad correctionem ſolum quando infligun„ tur, ſed etiam quando determinantur.

Si quis autem hic objectare voluerit, quod Deus ſit ſumme miſericors; reponemus cum Seraph. Doctore ibidem, „ quod ſicut Deus eſt „ ſumme miſericors, ita etiam decet, ut ſit „ ſumme juſtus: & ideo effectus ſummæ mi-

„ ſe-

„ ſericordiæ non excludit effectum juſtitiæ: &
„ propter hoc Deus duo tempora ſibi diſtinxit,
„ vel conſtituit; Unum in quo oſtenderet mi-
„ ſericordiæ ſuæ infinitatem, tradendo Unige-
„ nitum Filium ſuum pro omnibus inimicis
„ ſuis, & parcendo omnibus ad ſe redire vo-
„ lentibus. Aliud in quo oſtenderet juſtitiæ
„ ſuæ immenſitatem: & hoc eſt tempus, quod
„ deputatum eſt æternis cruciatibus.

Objicies 6. Credere dignum eſt, in die judicii Sanctorum interceſſione Deum fore placandum, ut reprobos ab inferni pœnis eripiat. Uti enim Origeniani ajebant apud Auguſtinum in lib. 21. de C. D. c. 18. *Si Sancti orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos; quanto magis quando videbunt humiles, ſupplicesque proſtratos? Neque enim credendum eſt, tunc amiſſuros Sanctos viſcera miſericordiæ . . . . Aut vero Deus tunc non eos exaudiet tot & tales filios ſuos, quando in tanta eorum ſanctitate nullum inveniet orationis impedimentum.* Hinc tradunt Hiſtoriæ, Gregorii Magni precibus Trajani animam ab inferis revocatam, & Falconillam quandam Theclæ orationibus ab inferis fuiſſe ſervatam, cum eſſet in infidelitate defuncta. Alia denique hujuſcemodi exempla legentibus Sanctorum Hiſtorias interdum occurrunt.

Reſp. ex eodem Auguſtino in c. 24. laudati libri de C. D. quod *nunc propterea pro eis orat Eccleſia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maxime pro eis orat, niſi ut det illis Deus, ſicut dicit Apoſtolus, pœnitentiam, & reſipiſcant de diaboli laqueis?* Ubi ergo pœnitentiæ locus non

non erit, neque Sancti orabunt: de his enim ait Pſalmus 31. v. 7. *Pro impietate peccati mei orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Et hac de cauſa fit, *ut neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis; nec nunc oretur pro infidelibus impiiſque defunctis*: uti eodem in loco ſubdit Auguſtinus.

Quod de Trajano ac Falconilla nonnulli ſcripſerunt, inter aniles fabulas Eruditi omnes amandant. Decepti enim illi fuerunt ſermone *pro defunctis* qui falſo Damaſceni titulum gerit, ac manifeſte in eo etiam fallit, quod dicit totum Orientem & Occidentem illam de Trajano hiſtoriam uti certam exploratamque recipere. Alia denique non multum a fabulis aliena in eodem ſermone leguntur.

Hujuſce item generis nonnulla ſunt quæ in quibuſdam hiſtoriis recenſentur; de aliis autem quæ vera narrantur, dicendum eſt, ſuſpenſam a ſummo Judice fuiſſe ſententiam damnationis eorum qui a gehenna liberati fuere, & Sanctos divino quodam inſtinctu, quo etiam miracula faciebant, pro iis oraſſe, ut ad vitam revocati per fidem & pœnitentiam ſalvarentur.

Ex dictis ſatis ſuperque jam patet, quam falſa ſit eorum opinio qui dixerunt, inferni quidem ignem futurum æternum, non tamen æternam futuram eſſe combuſtionem, & pœnam. Chriſtus enim dum Matth. 25. v. 46. ait: *Ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam*; ipſam combuſtionem pœnamque æternam evidenter oſtendit. Unde Auguſtinus in lib. de fide & operibus c. 15. ſcribit: *Nonnulli ſeipſos ſeducunt dicentes, ignem æter-*

æternum dictum, non ipſam pœnam æternam; per ignem quippe, qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem; ut videlicet ipſe ignis æternus ſit; combuſtio vero eorum, hoc eſt operatio ignis non ſit in eos æterna: cum, & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit dicens ſic, Ibunt illi in combuſtionem æternam, Juſti autem in vitam æternam. *Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis.*

CAPUT VII.

In quo de Beatis damnatiſque nonnulla quæruntur.

SCholarum Principes, ac præſertim S. Thomas, Sanctuſque Bonaventura, dubia quædam ad Beatos damnatoſque pertinentia docte ſolideque reſolvunt, de quibus & nos conſueta hic brevitate tractabimus. Ecce igitur

Dubium I. an Beati, damnatorum pœnas aſpicient?

Reſp. affirmative. Ut enim Angel. Doctor ait in q. 94. ſuppl. a. I. „ a Beatis nihil ſubtrahi debet quod ad perfectionem beatitudinis eorum pertinet. Unumquodque autem ex comparatione contrarii magis cognoſcitur; quia *contraria juxta ſe poſita, magis eluceſcunt*, ex libro problematum ſect. 22. Et ideo ut beatitudo Sanctorum eis magis complaceat, & de ea uberiores gratias Deo agant,

„ gant, datur eis, ut pœnam impiorum perfe-
„ ćte videant.

Hæc autem ratio deprompta videtur ex Gregorio M. qui hom. 40. in Evang. poſtquam aſſeruit, neque Beatos ad damnatos, neque hos ad illos poſſe tranſire, ſubjunxit: *Juſti vero in tormentis ſemper intuentur injuſtos, ut hinc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt, quod miſericorditer evaſerunt; tantoque majores ereptori ſuo gratias referant, quanto vident in aliis, quod ipſi perpeti, ſi eſſent relicti, potuerunt.*

Id etiam alii Patres affirmant in illa Iſaiæ verba c. 66. v. 24. *Egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me.* Ubi Hieronymus ait: *Egredientur autem non loco, ſed intelligentia.* Et Auguſtinus in lib. 20. de C. D. c. 22. *Sed quomodo*, inquit, *egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi ſunt ſedes, & ad loca pœnalia perrecturi, ut malorum tormenta conſpiciant præſentia corporali? Abſit. Sed egredientur per ſcientiam.* Et infra: *Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini, neſcient: qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, ſcient.*

Videbunt autem Beati damnatorum pœnas non oculo corporali, cum iſte ob telluris opacitatem penetrare ad inferni profunda non poſſit; ſed ſpirituali *intelligentia*, ut inquit Hieronymus, ſive in *Divinitatis ſpeculo*, ut ait S. Bonaventura in 4. d. 50. p. 2. a. 1. q. 3. Idque docet etiam Auguſtinus poſt citata verba ſubjiciens; *Si enim prophetæ nondum facta noſſe po-*

potuerunt, per hoc quod erat Deus quantuluncunque erat in eorum mortalium mentibus, quomodo immortales Sancti jam facta tunc neſcient, cum Deus erit omnia in omnibus?

Dubium 11. Num Beati compatiantur miſeriis damnatorum?

Reſp. negative ex S. Thoma citata in q. a. 2. „ Miſericordia enim vel compaſſio poteſt „ in aliquo inveniri dupliciter: Uno modo „ per modum paſſionis: alio modo per modum electionis. In Beatis quidem non erit „ aliqua paſſio in parte inferiori, niſi conſequens electionem rationis: unde non erit „ in eis compaſſio vel miſericordia, niſi ſecundum electionem rationis. Hoc autem modo, ex electione rationis, miſericordia vel „ compaſſio naſcitur, prout ſcilicet aliquis „ vult malum alterius repelli: unde in illis „ quæ ſecundum rationem repelli non volumus, „ compaſſionem talem non habemus. Peccatores „ autem quamdiu ſunt in hoc mundo, in tali „ ſtatu ſunt, quod ſine præjudicio divinæ juſtitiæ poſſunt in beatitudinem transferri a „ ſtatu miſeriæ & peccati: & ideo compaſſio „ ad eos locum habet, & ſecundum electionem voluntatis (prout Deus, Angeli, & „ Beati eis compati dicuntur, eorum ſalutem „ volendo), & ſecundum paſſionem, ſicut compatiuntur eis homines Boni in ſtatu viæ exiſtentes. Sed in futuro non poterunt transferri a ſua miſeria: unde ad eorum miſerias „ non poterit eſſe compaſſio ſecundum electionem rectam: Et ideo Beati qui erunt in „ gloria, nullam compaſſionem ad damnatos „ habebunt.

At

At dices. Compaſſio ex charitate procedit: atque in Beatis eſt perfectiſſima charitas: ergo damnatorum miſeriis maxime compatiuntur.

Reſp. cum Angel. Doctore ibidem ad 1. „ quod charitas tunc eſt compaſſionis princi- „ pium, quando poſſumus ex charitate velle „ remotionem miſeriæ alicujus. Sed Sancti ex „ charitate hoc velle non poſſunt de damnatis, „ cum divinæ juſtitiæ repugnet. “ Id quoque docuit S. Gregorius hom. 40. in Evang. ſcribens: *Quia Juſtorum animæ quamvis in ſuæ naturæ bonitate miſericordiam habeant, jam tunc Auctoris ſui juſtitiæ conjunctæ tanta rectitudine conſtringuntur, ut nulla ad reprobos compaſſione moveantur. Ipſi quippe Judici concordant, cui inhærent, & eis quos eripere non poſſunt, nec ex miſericordia condeſcendunt, quia tantum illos tunc a ſe videbunt extraneos, quantum ab eo quem diligunt, Auctore ſuo conſpiciunt eſſe repulſos.*

Hoc tandem in Evangelica narratione *Lucæ 16. v. 25.* Abraham denotavit, quando filium vocans divitem illum, utpote ex ſua poſteritate progenitum, nullum tamen miſericordiæ affectum oſtendit, ſed magis objurgavit, & improperando peccata vitæ prioris objecit. Quare nec illud quod v. 26. ſubjecit dicens: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*, accipiendum eſt ita, quaſi Beatis inſit aliquis commiſerationis affectus, quo etſi non poſſint, velint tamen miſeris in inferno poſitis ſubvenire; ſed ſenſus eſt: Propter immobilitatem divinæ ſententiæ ac decreti, tanquam propter impertranſibile quod-

dam interpoſitum chaos, nullam poſſe Juſtos opem præbere damnatis, etiamſi id facere quam maxime vellent. Ita locum iſtum expoſuit Auguſtinus in lib. 2. qq. Evang. q. 38.

Dubium III. An Beati de damnatorum pœna lætentur?

Reſpondet S. Thomas in laudata quæſt. a. 3. „ quod aliquid poteſt eſſe materia gaudii „ dupliciter: Uno modo per ſe, quando ſcilicet de aliquo gaudetur inquantum hujuſmodi; & ſic Sancti non lætabuntur de pœnis „ impiorum: Alio modo per accidens, ideſt „ ratione alicujus adjuncti: Et hoc modo Sancti de pœnis impiorum gaudebunt, conſiderando in eis divinæ juſtitiæ ordinem, & „ ſuam liberationem, de qua gaudebunt. Et „ ſic divina juſtitia, & ſua liberatio erunt per „ ſe cauſa gaudii Beatorum, ſed pœnæ damnatorum, per accidens.

Dices. Beati ſunt ſumme Deo conformes: atqui Deus non delectatur in pœnis: ergo neque Beati de damnatorum ſupplicio delectantur.

Deinde ad odium pertinet de alterius malo lætari: atqui in Beatis odium eſſe non poteſt: non ergo illi de damnatorum miſeriis lætabuntur.

Reſp. ad 1. cum S. Thoma ibi, „ quod „ quamvis Deus non delectetur in pœnis, inquantum hujuſmodi, delectatur tamen in eis „ inquantum ſunt per ſuam juſtitiam ordinatæ.

Ad alterum reſpondet idem S. Doctor, „ quod lætari de malo alterius, inquantum hujuſmodi, pertinet ad odium; non autem lætari de malo alterius ratione alicujus adjuncti;

„ cti: ſic autem aliquis de malo proprio quan-
„ doque lætatur; ſicut cum quis gaudet de pro-
„ priis afflictionibus, ſecundum quod proſunt
„ ei ad meritum vitæ: Jacobi 1. Omne gau-
„ dium exiſtimate fratres, cum in tentationes
„ varias incideritis.

Et hoc modo poteſt etiam homo viator de alterius malo & pœna lætari, vel quia eam ipſe non habet, vel propter bonum quod ex tali pœna conſequitur. Unde S. Auguſtinus in Pſal. 57. iis qui ab originalis peccati pœna liberati ſunt, ait: *Agnoſcite iſtam pœnam, & gaudete vos non eſſe in hac pœna omnes qui proficitis, omnes qui intelligitis & amatis veritatem ..... Omnes tales qui eſtis, videte pœnas eorum qui tales non ſunt, & gaudete ... Ergo iſtam pœnam quando videtis, gaudete, quia in illa non eſtis. Propterea dicit Scriptura:* Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam.

Bene tamen Angel. Doctor ibidem advertit, quod „ alia ratio eſt de viatore, & de com-
„ prehenſore. Quia in viatore paſſiones fre-
„ quenter inſurgunt ſine judicio rationis: (&
„ tamen tales paſſiones interdum ſunt laudabi-
„ les, ſecundum quod bonam diſpoſitionem
„ mentis indicant, ſicut patet de verecundia,
„ & miſericordia, & pœnitentia de malo): ſed
„ in comprehenſoribus non poteſt eſſe paſſio,
„ niſi judicium rationis conſequens.

Dubium IV. An omnis damnatorum voluntas ſit mala?

Reſp. cum Angel. Doctore in q. 99. ſupplem. a. 1. „ quod in damnatis poteſt duplex
„ voluntas conſiderari; ſcilicet voluntas deli-
„ berativa, & voluntas naturalis. Naturalis

„ quidem non eſt eis ex ipſis, ſed ex Auctore
„ naturæ, qui in natura hanc inclinationem po-
„ ſuit, quæ *naturalis voluntas* dicitur. Unde
„ cum natura in eis remaneat, ſecundum hoc
„ bona poterit in eis eſſe voluntas naturalis.
„ Sed voluntas deliberativa eſt eis ex ſeipſis,
„ ſecundum quód in poteſtate eſt eorum in-
„ clinari per affectum ad hoc vel illud: & ta-
„ lis voluntas eſt in eis ſolum mala: & hoc ideo,
„ quia ſunt perfecte averſi a fine ultimo rectæ
„ voluntatis; nec aliqua voluntas poteſt eſſe
„ bona, niſi per ordinem ad finem prædictum:
„ unde etiam, etſi aliquod bonum velint, non
„ tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas
„ eorum bona dici poſſit.

Huc accedit, quod, ut ibidem ait S. Doctor, ita ſe habet voluntas damnatorum ad malum, ſicuti ſe habet voluntas Beatorum ad bonum: atqui Beati neque habent, neque habebunt voluntatem malam, quia ultimo fine immobiliter adhærebunt: ergo damnati neque habent; neque habebunt unquam aliquam voluntatem bonam, quia ultimo fini malo immobiliter ſunt affixi; eo vel maxime quod Deus, qui ſolus poſſet eos in bonum inflectere, juſto judicio ſuo conſtituit eoſdem in malo relinquere, in quo finaliter deceſſerunt.

Dices. Quidam damnabuntur, qui ex hoc mundo ſecum detulerunt aliquos virtutum habitus; utpota nonnulli Gentiles, qui virtutes politicas habuerunt: atqui ex habitibus virtutum laudabilis voluntas elicitur: ergo in quibuſdam damnatis poterit laudabilis eſſe voluntas.

Reſp. cum Angel. Doctore ibidem ad 3.

„ quod

„ quod habitus virtutum politicarum non re„ manent in anima ſeparata; eo quod virtutes „ illæ perficiunt ſolum in vita civili, quæ non „ erit poſt hanc vitam: ſi tamen remanerent, „ numquam in actum exirent, quaſi ligatæ ex „ obſtinatione mentis.

Ex dictis ſequitur, quod damnati dæmones hominesque continuo peccent; quia nempe confirmata eſt in eis ſemperque manſura mala, & perverſa voluntas; ſicut e contrario in Beatis bona & ſancta voluntas ita confirmata eſt, ut eam non poſſint amittere. Unde ſicut Electorum charitas in futuro ſeculo nunquam excidet, ut inquit Apoſtolus in 1. ad Cor. 13. ita de reprobis dictum eſt in Pſal. 73. v.23. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

Neque vero dicendum eſt, quod mala illa damnatorum voluntas rationem peccati non habeat. Cum enim æterna lex Dei nunquam extinguatur, quidquid contra eam voluntate committitur; ſive in hac ſive in alia vita, peccatum eſt. Nam ex diverſo bona ſine dubio opera erunt, & peccatis oppoſita, quæcunque a Beatis fient, utpote æternæ Dei legi conformia: unde in Pſal. 118. v.44. legitur: *Cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi.* Lege S. Thomam in p. 1. q. 64. a. 2. & S. Bonaventuram in 2. d. 7. p. 1. a. 1. q. 2.

Quamvis autem damnati ſine intermiſſione peccabunt, illorum tamen mala voluntas ita ſine merito ulterioris pœnæ erit futura, ſicuti ſanctiſſima Electorum voluntas nullam ampliorem gloriam in Cœlo merebitur. Cujus quidem rei ratio eſt, quia utrique jam in ultimo bonorum vel malorum fine terminoque conſiſtent,

ſtent, tranſacta hujuſce vitæ via, quæ illis ad merendum fuerat conſtituta: ideoque ſicuti bona voluntas in Bonis non erit meritum, ſed præmium; ita mala voluntas in malis non demeritum erit, ſed pœna ſuppliciumque peccati. Ita docent S. Thomas in 2. 2. q. 13. a. 4. & S. Bonaventura in 4. d. 50. p. 1. a. 1. q. 1.

Dubium v. An damnati ex deliberativa ratione velint non eſſe?

Reſpondet S. Thomas in q. 99. ſuppl. a. 3. „ quod *non eſſe* poteſt dupliciter conſiderari. „ Uno modo ſecundum ſe: & ſic nullo modo „ eſt appetibile, cum non habeat aliquam ra- „ tionem boni, ſed ſit boni pura privatio. A- „ lio modo poteſt conſiderari in quantum eſt „ ablativum pœnalis vitæ, ſeu alicujus miſe- „ riæ: & ſic *non eſſe* accipit rationem boni: „ *Carere enim malo eſt quoddam bonum*, ut dicit „ Philoſophus 5. Ethic. c. 1. Et per hunc mo- „ dum melius eſt damnatis non eſſe, quam mi- „ ſeros eſſe: unde Matth. 26. dicitur: *Bonum* „ *erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Et „ Hieremiæ 20. ſuper illud: *Maledicta dies*, „ *in qua natus ſum &c.* dicit Gloſſa ex Hie- „ ronymo, *Melius eſt non eſſe, quam male eſſe*. „ Secundum hoc ergo damnati poſſunt præeli- „ gere *non eſſe* ſecundum deliberativam ratio- „ nem.

Deſiderabunt ergo damnati non eſſe, ut ita liberari poſſent a pœnis, quibus cruciabuntur, & in perpetuum ſe cruciandos agnoſcent. Unde Apoc. 9. v. 6. legitur: *In diebus illis deſiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis*. Et ſane ſi ad vitandam hujus mundi miſeriam,

quæ

quæ tamen neque æterna eſt, neque tam gravis, quidam mori deſiderant; unde Eccleſiaſtici 41. v. 3. dicitur: *O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili qui perdidit patientiam:* quanto magis optabunt damnati non eſſe, ut ita æternas graviſſimaſque gehennæ miſerias evitarent? In hoc autem deſiderio illi peccabunt, quia procedet ex odio contra Dei juſtitiam, & ex obſtinata adhæſione, quam ad malum habebunt. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 50. p. 1. a. 1. q. 2.

Dubium VI. Num damnati vellent damnari alios, qui non ſunt damnati?

Reſp. cum S. Bonaventnra in 4. d. 50. p. 1. a. 1. q. 3. „ quod etſi in damnatis aliquo „ modo remittantur affectiones libidinoſæ propter pœnarum magnitudinem, illæ, inquam, „ affectiones, quæ habent adnexam delectationem: aliæ tamen affectiones, in quibus eſt „ pœnalitas, vigorantur: unde etſi ceſſet actualiter affectus luxuriandi, & dominandi; tamen intenditur affectus, ſive furor impatientiæ, & livor invidiæ: unde tunc dentibus „ frement, & tabeſcent: & quoniam vigebit „ in eis odium, & invidia; ideo vehementer „ triſtabuntur, & tabeſcent in gloria Electorum Dei: ideo ad ſatiandum ſuam impiiſſimam æmulationem, & odium, vellent nullos eſſe beatos; immo omnes eſſe miſeros. „ Et quia nec ipſi ad beatitudinem poſſunt „ pertingere, nec alios poſſunt a ſtatu beatitudinis amovere; ideo in ſemetipſis vehementer tabeſcunt, & confunduntur.

At dices. Lucæ 16. v. 27. & 28. legitur, quod

quod dives pro fratribus ſuis rogaverit, ne in locum tormentorum etiam ipſi venirent. Ergo & damnati alii nollent ſaltem conſanguineos ſuos in inferno damnari.

Reſp. cum Seraph. Doctore, „ quod quamvis in generali damnati nolint videre beatos „ aliquos, ſed omnes miſeros: tamen quia ſpecialius habent aliquorum amorem naturalem „ & privatum, nollent ipſos damnari aliis exiſtentibus in ſtatu gloriæ: quia & ſi illi damnentur, tamen adhuc manet æmulatio, & „ occaſio tabeſcendi: non ſic eſſet de omnibus.

Angelicus etiam Doctor in q. 99. ſupplem. a. 4. ait, „ quod tanta erit invidia in damnatis, quod etiam propinquorum gloriæ invidebunt, cum ipſi ſint in ſumma miſeria; „ cum etiam in hac vita hoc accidat creſcente „ invidia. Sed tamen minus invidebunt propinquis, quam aliis; & major eſſet eorum „ pœna, ſi omnes propinqui damnarentur; & „ alii ſalvarentur, quam ſi aliqui de ſuis propinquis ſalvarentur. Et exinde fuit, quod „ dives petiit fratres ſuos a damnatione eripi: „ ſciebat enim quod aliqui eriperentur: maluiſſet tamen fratres ſuos cum aliis omnibus „ damnari.

Denique cum S. Gregorio, Lyrano, Eſtio, aliiſque dici poteſt, quod propterea dives ille rogaverit, ne cum ipſo damnarentur & fratres, quia ſciebat, ex fratrum conſortio in condemnatione pœnam ſuam fore augendam; quia eis peccandi occaſionem per malæ vitæ exempla præbuerat.

Dubium VII. An damnati Deum odio proſequantur?

Reſp.

Reſp. cum S. Thoma in q. 99. ſupplem. a. 5. „ quod affectus movetur ex bono vel malo „ apprehenſo. Deus autem apprehenditur dupliciter; ſcilicet in ſe, ſicut a Beatis, qui „ eum per eſſentiam vident; & per effectus, „ ſicut a nobis, & damnatis. Ipſe igitur cum „ ſit per eſſentiam bonitas, non poteſt alicui „ voluntati diſplicere: unde quicumque eum „ per eſſentiam videt, eum odio habere non „ poteſt. Sed effectuum ejus aliqui ſunt voluntati repugnantes, in quantum contrariantur „ alicui. Et ſecundum hoc aliquis non in ſeipſo, ſed ratione effectuum Deum odio habere poteſt. Damnati ergo Deum percipientes in effectu juſtitiæ, qui eſt pœna, eum „ odio habent, ſicut etiam pœnas quas ſuſtinent.

Quod ſi quis objecerit: Dionyſius in 4. cap. de divin. nomin. ait: *Omnibus diligibile eſt pulchrum & bonum, quod eſt omnis boni & pulchritudinis cauſa*: Ejuſcemodi autem Deus eſt: Deum igitur nemo poteſt unquam odiſſe.

Reſp. Doctor Angel. ibi ad 1. „ quod verbum Dionyſii eſt intelligendum de appetitu „ naturali; qui tamen in damnatis pervertitur „ per id quod additur ex deliberata voluntate, „ ut dictum eſt.

Dubium VIII. Num damnati Beatorum ſtatum agnoſcant?

Reſp. cum S. Thoma in citata q. a. 9. quod „ damnati ante diem judicii videbunt Beatos „ in gloria; non hoc modo, quod gloriam eorum, qualis ſit, cognoſcant; ſed cognoſcent, „ eos eſſe in gloria quadam inæſtimabili: Et „ ex hoc turbabuntur, tum propter invidiam, „ do-

„ dolentes de felicitate eorum : tum propter
„ hoc, quod ipſi talem gloriam amiſerunt. Un-
„ de dicitur Sap. 5. de impiis: *Videntes turba-*
„ *buntur timore horribili*. Sed poſt diem judicii
„ omnino Beatorum viſione privabuntur. Nec
„ tamen ex hoc eorum pœna minuetur; quia
„ memoriam habebunt gloriæ Beatorum, quam
„ in judicio viderunt, vel ante judicium, &
„ hoc erit eis in tormentum : ſed ulterius af-
„ fligentur in hoc, quod videbunt, ſe indignos
„ reputari etiam videre gloriam, quam Sancti
„ merentur habere.

Itaque diſtinguenda ſunt tempora. Siquidem ante judicii diem, damnati generali & confuſo quodam modo gloriam Beatorum agnoſcunt: unde Auguſtinus in lib. 2. qq. Evangel. q. 38. loquens de divite qui Lazarum e longinquo in inferno videbat, affirmat, damnatos *videre de longinquo, atque ſentire beatorum requiem, quo ſane tranſire non poſſunt*.

Neque tamen negandum eſt, quin peculiari ac diſtincta notitia quidam mali de quibuſdam Bonis quod cum Deo regnent, & quanta ibi felicitate fruantur, intelligant; ſed id extraordinaria Dei diſpenſatione contingit. Ita nonnulli exponunt, quod Gregorius hom. 40. in Evang. de divite & Lazaro tractans, ait: *Credendum eſt, quod ante retributionem extremi judicii injuſti in requie quoſdam juſtos conſpiciant, ut eos videntes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur*.

Deinde in ipſo extremo judicio impii corporeis etiam oculis gloriam corporum Beatorum aſpicient, uti teſtatur Sapiens c. 5. v. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabun-*

tur

tur in ſubitatione inſperatæ ſalutis . Poſt judicium vero neque corporeo aſpectu Sanctorum gloriam intuebuntur, neque divina permiſſione ulteriorem aliquam notitiam de Sanctis quanta in felicitate verſentur, habebunt: idque ad eorum majus tormentum accedet, ut diximus cum S. Thoma. *Qui enim*, inquit Auguſtinus in lib. 20. de C. D. c. 22. *erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini, neſcient; qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, ſcient*. Lege etiam hac de re S. Bonaventuram in 4. d. 50. p. 2. a. 1. q. 3.

Dubium IX. An damnati cognoſcant, quæ aguntur in terris?

Reſp. quod ex alibi dictis appareat, Beatorum animas non eſſe prorſus ignaras rerum quæ in hoc mundo geruntur, earumque præſertim, quæ ad eas aliquatenus attinent, cujuſmodi ſunt preces, quæ ad illas a viatoribus diriguntur. At ſi de damnatorum animabus loquamur, longe aliter dicendum eſt.

Et primo, quia unum eſt Eccleſiæ corpus, cujus membra quædam in terris militant, quædam vero regnant in Cœlis; proindeque horum inter ſe communio juſta eſt. Sed damnati ab Eccleſia ſunt prorſus alieni, immo ſicuti Deo, ita & ejus Eccleſiæ infenſi ſunt hoſtes, ut merito poſſit eis accommodari illud 2. Cor. 6. v. 14. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?*

Secundo, quia neque damnati a nobis, neque nos ab illis adjuvari ullo modo valemus; ergo fruſtra Deus eis res noſtras ſcire permitteret; præſertim cum eas naturaliter non cognoſcant, neque appareat ratio quare præter na-

naturæ ordinem eis revelatio fiat; niſi forte interdum ad hoc, ut ejuſcemodi cognitio majorem eis accidentalem pœnam afferat, quæ eo magis accreſcit, quo plures ſuo malo exemplo vel doctrina perverti, & ad damnationem deduci cognoverint.

Tertio, quia damnati nullam viventium curam habent ex charitate qua carent, cum Deum ac proximum capitali ac præfracto odio proſequantur. Sed ſi quam ſuorum curam habere videntur (uti Dives ille Epulo Lucæ 16. qui tamen quid tunc fratres ſui agerent, ignorabat), ea vel ex reliquiis carnalis affectus emanat, quo homines etiam peſſimi pœnas ab illis quos carnaliter diligunt, amovere deſiderant: vel ex eo potius oritur, quod augmentum ſuæ pœnæ metuant, dum alii ipſorum mala exempla ſecuti in eandem incidunt damnationem. Verum ex illa qualicunque damnatorum cura pro vivis, minime conſequens eſt ab eis cognoſci quæ in hoc mundo fiunt; ſicuti viciſſim noſtra pro mortuis cura, nec ea qualiſcunque ſed ex charitate procedens, non probat ſcire nos quæ circa illos aguntur. Lege S. Auguſtinum in lib. de cura pro mortuis c. 14. & 15.

Et hæc quidem de animabus damnatorum recte dicuntur. Nam alia ratio eſt de dæmonibus, iis maxime, qui nondum in inferni carcerem ſunt detruſi, ſed adhuc libere vagari per hunc aerem permittuntur. Hi namque res noſtras quibus interſunt, naturali virtute cognoſcunt, idque tanto facilius certiuſque quam a nobis ipſis res eædem cognoſcantur, quanto ſunt & mente ſagaciores, & propter ſpiritualem naturam prohiberi nequeunt, quo minus

ſe-

ſecretiſſima quæque loca pervadant. Hac de re legendus eſt S. Bonaventura in 4. d. 50. p. 2. a. 1. q. 2.

Dubium x. Num damnatorum pœnæ intermiſſionem ullam, vel mitigationem quandoque recipiant?

Reſp. negative. Ut enim legitur Apoc. 14. v. 11. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt beſtiam.* Hinc & Cyprianus in epiſt. ad Demetrianum de inferni pœnis ait: *Nec erit, unde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando, vel finem.* Denique damnatis nihil unquam de culpa remittitur: ergo nihil pariter remittitur de pœna: nullam ergo poterunt illi pœnarum intermiſſionem, vel diminutionem, levamenque ſperare. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 46. dub. 1. & a. 1. q. 1. & 2.

Dubium xi. Num damnati infra meritum puniantur?

Nonnulli de Schola dixerunt, quod Deus ſemper citrà condignum puniat, eo quia miſericordia & juſtitia ſemper ſimul in qualibet Dei operatione concurrant: unde putarunt etiam, damnatos citra condignum, pœnaque meritis minore a Deo puniri. At alii cum Eſtio, & Gotti oppoſitam ſententiam probabiliorem exiſtimant, quorum hic argumenta ſubnectimus.

Sæpe legitur in Scripturis, ac præſertim Rom. 2. v. 6. quod Deus *reddet unicuique ſecundum opera ſua:* atqui ita non redderet, ſi damnatos puniret infra condignum, ſicuti neque ſi Beatos infra meritum præmiaret.

Deinde Jacobus Apoſtolus c. 2. v. 13. ait: *Ju-*

Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. Per quod oſtenditur, par pro pari reddendum, nullamque miſericordiam experturos, qui illam in alios non exercent.

Præterea Apoc. 18. v. 7. dicitur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Non daretur autem tantum, quantum meruit, ſi daretur minus, hoc eſt, infra condignum.

Accedit & ratio. Nihil enim de pœna remittitur, niſi aliquid de culpa tollatur: atqui in damnatis de culpa nil tollitur: ergo nil quoque de pœna remittitur.

Tum quia mitigatio, ſive remiſſio pœnæ non niſi per Chriſti ſanguinem obtinetur, cujus nullo modo damnati poſſunt eſſe participes.

Ita denique ſenſiſſe videtur Hieronymus in fine lib. 2. ſuper Ezechiel, ubi ait: *Peccatoribus reddit Deus juxta vias ſuas, ut teneat judicii veritatem. Ceterum in Sanctis excedit modum clementiæ. Neque enim condignæ ſunt paſſiones &c.* Pro hac quoque ſententia laudant Auguſtinum, qui Conc. 1. ſuper Pſalmum 32. ad verſum illum: *Diligit miſericordiam, & judicium*, ait, *nunc eſſe tempus miſericordiæ, poſtea vero tempus judicii*; ac ſubjungit, quod Deus *in futuro habet miſericordiam, ſed erga eos quibus dicturus eſt: Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*.

Sed qui adverſam tuentur opinionem, objectant 1. quod in Pſalmo 24. v. 10. legitur: *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*. Et in Pſalmo 76. v. 10. *Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas*. Tandem in Pſalmo 144. v. 9. *Suavis Dominus univerſis, & miſeratio-*

nes

nes ejus, ſuper omnia opera ejus.

Reſp. quod verba Pſalmi 24. ad ſolos pios, electoſque pertineant, qui in Scripturis miſericordiæ vaſa dicuntur: unde Pſalmiſta ſubjunxit: *Requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.*

Verba Pſalmi 76. exponenda ſunt de hominibus in hoc mundo degentibus, quos dum Deus iratus punit, miſericordiæ recordatur, quia punit eos, ut convertantur, & vivant. Quo etiam in ſenſu intelligendus eſt Pſalmus 144. nam ſuper objecta verba S. Auguſtinus hæc inter alia ſcribit: *Nonne* miſerationes ejus in omnia opera ejus, *qui pluit ſuper juſtos, & injuſtos? Nonne* miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus? *Longanimis expectat peccatorem, dicens*, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. *Nonne* miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus? *Et cum dicit*, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus: *hic non miſeratio ejus, ſed veritas, & ſeveritas ejus. Miſeratio ejus reddita eſt operibus ejus: ſeveritas ejus eſt, non in opera ſua, ſed in opera tua. Denique ſi tollas opera tua mala, & non in te remaneant niſi opera ejus, non te dimittit miſeratio ejus: ſi autem tu non dimittis opera tua, erit ſeveritas ejus in opera tua, non in opera ſua.*

Objectant 2. Deus Sanctos remunerat ultra condignum: ergo infra condignum plectit damnatos.

Reſp. quod ut Electi ſupra condignum remunerentur, oritur ex virtute paſſionis Chriſti, quæ ad illos extenditur; non autem extenditur ad damnatos: unde pro certo non eſt dicendum, quod iſti beneficium minoris puni-

tionis accipiant, quam ſint ſua culpa promeriti. Ceterum Beatos ſupra condignum remunerari demonſtrant ea Chriſti verba Lucæ 6. v. 38. *Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Paulus etiam ad Rom. 8. v. 18. ait: *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* de quo teſtimonio inter Patres alios lege Chryſoſtomum hom. 1. ad Populum Antiochenum. Quibus robur adjungit S. Pius V. qui inter Baji articulos hunc ordine 14. condemnavit: *Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mererentur accipere.* Per quod ſtatutum fuiſſe videtur, Beatos in cœleſti gloria mercedem recipere ſupra condignum. De reprobis autem quod infra condignum puniantur, nullum affertur vel ex auctoritate, vel ex ratione momentum. Sed jam de ipſo nunc inferni loco, & igne ſcribamus.

CA-

CAPUT VIII.

Ubi de Inferno diſſeritur.

Athei, Libertini, Gentiles aliqui, ac quidam Hæretici infernum vel omnino negarunt, vel mundum iſtum eſſe infernum, neque aliud poſt mortem ſupereſſe dixerunt. At Catholica fides edocet, infernum exiſtere, ubi poſt hanc vitam impii acerbiſſimis ſuppliciis puniuntur. Id enim in novo præſertim Teſtamento frequenter occurrit, probatumque manet ex iis, quæ ſupra de pœnarum æternitate tradidimus.

Hanc etiam veritatem vel ipſos Gentilium Sapientes agnoviſſe certiſſimum eſt. Quare merito S. Auguſtinus in lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. ſcribit: *Nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus ſolis de hac re fides habenda eſt, recedere non debemus. Quanquam poſſimus oſtendere, illorum quoque Sapientes de inferorum ſubſtantia minime dubitaſſe, quæ poſt hanc vitam excipit animas mortuorum.*

Quidquid præterea Calvinus, Hobbeſius, aliique hæretici ſenſerint, affirmandum profecto eſt, infernum eſſe materialem locum, ac ſub terra conſiſtere. Quanquam enim Veteres aliqui vel inferni locum extra hunc mundum ſtatuerint, vel definire noluerint; uti tamen ſcribit Hieronymus in epiſt. ad Epheſ. c. 14. *infernum ſub terra eſſe nemo jam ambigit.* Et

Auguſtinus qui in lib. 12. de Gen. ad lit. c. 32. anceps videtur, in eamque propendet opinationem, quod inferorum ſubſtantia ſpiritualis ſit, non corporalis, in lib. 2. Retract. c. 24. ait: *De inferis magis mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſit*. Et profecto legitur in Apoc. c.20. vv. 2. 3. 9. 14. & 15. quod diabolus in abyſſum miſſus ſit, & in ſtagnum ignis, quo etiam detrudendi dicuntur, quotquot in libro vitæ ſcripti non fuerint.

Eo in loco dæmones, hominesque damnati materiali ac corporeo igne torquentur; uti vulgo Theologi noſtri docent, conſentiuntque nonnulli etiam Novatores. Et ſane innumeris Scripturarum textibus hæc ſententia confirmatur. Ita Deut. 32. v.22. legitur: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*. Et Iſaiæ 33. v. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Tum Matth. 25. v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Tandem infernus appellatur *Clibanum ignis* Pſal. 20. v. 10. *Gehenna ignis* Matth. 5. v. 22. *Stagnum ignis* Apoc. 20. v. 15.

Si ergo omnes ferme divinæ Literæ ignem in inferis ardere teſtantur, etiam ubi hiſtoricæ narrationes occurrunt; dicendum profecto eſt, quod ille non tropice ac figurate, ſed vere proprieque ſit accipiendus. Et ſane quum Judex Chriſtus coram univerſa Juſtorum impiorumque multitudine poſtremam ſententiam feret, metaphoris non utetur; ſi ergo ignem nominabit, verum cor-

corporeumque ignem intelliget. Præterea ex eadem Chriſti ſententia conſtat, eodem igne dæmones, ac damnatorum corpora fore cremanda: atqui qui corpora cremat ignis, proculdubio corporeus eſt. Poſtremo alia nequit afferri ratio, cur infernus in Scripturis Gehennæ, ideſt Valli Ennon, & Topheth & comparetur, quam quod ſicut in Valle illa ſubjecto igne urebantur infantes, ita & in inferno impii vero igne crementur. Hinc & *gehennæ* vocabulo vocabulum aliud *ignis* adjungitur, ut fiat hypallage, quæ ſignificat *gehennam incendium, gehennam ardentem*, uti acute etiam notavit Eraſmus.

Patres item inferni ignem corporeum eſſe dixerunt. Hieronymus in epiſt. 59. ad Avitum c. 2. redarguit Origenem, quod metaphorico in ſenſu inferni ignem acceperit. Gregorius in lib. 4. dialogorum c. 29. Petrum interrogat, an ignem inferni incorporeum vel corporeum fateatur? Petrus diſerte reſpondet, *Corporeum eſſe non ambigo, in quo certum eſt corpora cruciari*: & hanc ſententiam ipſe Gregorius approbat. Denique Auguſtinus in lib. 21. de C. D. c. 10. ait: *At vero gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum, aerea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem ſpiritus ſine corporibus hærentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriſque ignis erit, ſicut Veritas dixit*, Matth. 25. v. 41. Lege etiam Cyprianum in epiſt. ad Demetrianum, Baſilium in Pſal. 33. Tertullianum in lib. de pœnit. c. 12. &c.

At contra opponunt 1. Scriptura de inferno loquens interdum etiam vermem, aquam, niveſque commemorat. Ita Iſaiæ *66. v. 24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: quod & repetitur Marci *9. v. 43.* Job etiam c. 24. v. 19. ait: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius*. Atqui vermes, aquæ, ac nives non niſi metaphorico in ſenſu ſumuntur: idem igitur de igne dicendum eſt.

Reſp. 1. quod nonnulli veros in inferno vermes admiſerint, quos inter S. Baſilius in Pſal. 33. ait: *In inferno vermium innumerabilium genus venenoſum, & carnivorum erit*. Alii etiam veras ibi nives arbitrantur exiſtere. Ceterum Scriptura dum inferni pœnam enunciat, ſæpius ignem nominat igniſque gehennam; proindeque non metaphoricus, ſed proprius corporeuſque intelligendus eſt ignis; quidquid de vermibus, nivibuſque dicatur. Lege S. Auguſtinum in lib. 21. de C. D. c. 9. & S. Bonaventuram in 4. d. 50. p. 2. a. 2. q. 1. & d. 44. p. 2. a. 2. q. 1. & S. Thomam q. 97. alias 98. ſuppl. a. 2.

Opponunt 2. SS. Patrum auctoritates. Auguſtinus in lib. 21. de C. D. c. 10. ſcribit: *Dicerem quidem ſic arſuros ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat*, Crucior in hac flamma: *niſi convenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguum deſideravit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ſibi fieri poſtulavit, ubi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarſit, & illa guttula, quam popoſcit &c.* Gre-

Gregorius in lib. 15. Mor. c. 29. alias 14. vel 17. *Gehennæ ignis cum ſit incorporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret.*

Denique Damaſcenus in lib. 4. de fide c. ult. *Traduntur diabolus, & impii in ignem æternum, non materialem, qualis apud nos eſt, ſed qualem Deus novit.*

Reſp. Auguſtini mentem ſatis ſuperque patere ex iis, quæ ſtatim eodem in loco ſubjungit: *At vero gehenna illa &c.* uti mox ſupra retulimus. Quia vero narrationem divitis exclamantis Lucæ 16. v. 24. *Crucior in hac flamma*, nonnulli non hiſtoriam, ſed parabolam eſſe putarunt; idcirco Auguſtinus ait: *Dicerem quidem ſic arſuros &c.* Quod ſi dicamus hiſtoriam eſſe, non ſequitur, quod non vera ſit & corporea flamma, ſicuti corporalis non eſt lingua, manus, digitus: quia certiſſimum eſt, quod partes corporis de animabus atque ſpiritibus; niſi per metaphoram, enunciari non poſſint, at ignis & flamma non deſcribuntur ut partes ac membra divitis, ſed ut locus, in quo cruciatur; nec repugnat ſubſtantiam ſpiritualem violenter in loco corporeo detineri, eidemque contra libitum alligari. Hæc autem ut vera ſint, Auguſtinus advertens quoſdam Catholicos opinari, quod in c. 16. Lucæ narratur, non hiſtoriam ſed parabolam eſſe, aut, ſi hiſtoria eſt, imaginariam ſaltem fuiſſe viſionem; cum hæc quoque ſententia probabilis ſit, noluit propriam aliorum auctoritati præferre; ideoque adjunxit: *Niſi convenienter reſponderi*

 cer-

cernerem talem fuiſſe illam, qualis oculi quos levavit, & Lazarum vidit &c. nempe, non proprie viſum a divite Lazarum, ſed ecſtaſi quadam, in qua, ut ibi ait Auguſtinus, cernuntur *res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum*.

Gregorii quoque ſententia ſatis liquet ex lib. 4. dial. c. 29., cujus verba ſententiarum Magiſter in 4. d. 44. recenſuit. Objecto igitur in loco incorporeum inferni ignem appellat non natura, ſed actione, quia nempe humano ſtudio, ligniſque non indiget. Aut dicendum eſt potius, quod mendum in textum irrepſerit; nam S. Thomas in 4. d. 44. q. 3. aliique legerunt: *Cum ſit corporeus*; atque ita legendum eſſe ex ipſo contextu non obſcure colligitur. Lege Cl. Monachos S. Mauri adnotat. in hunc Gregorii locum.

Ad Damaſceni verba reſpondet S. Bonaventura in 4. d. 44. p. 2. a. 2. q. 1., „ quod non „ negat ille ſimilitudinem in forma ſpecifica, „ ſed potius in proprietatibus, & operationi„ bus conſequentibus. „ Utque ait Cl. Eſtius in 4. d. 44. §. 13., non aliud Damaſcenus affirmat, quam ignem illum non eſſe impurum & craſſum, qualis eſt noſter; id enim materiale vocaſſe videtur; ſed purum, liquidum, ſubtilem, ac ſine fomento perpetuum.

Hic autem adnota, quod oppoſita quorundam opinio dicentium inferni ignem incorporeum eſſe, etſi minus ſit illa probabilis, non tamen uti hæretica habenda eſt. Nulla enim de corporeo igne extat Eccleſiæ definitio, ſicuti plures Cl. Theologi obſervarunt. Vide P. Berti in lib. 10. c. 17. Denique Origenis hac

de

de re ſententiam ſecutus fuiſſe videtur S. Ambroſius lib. 7. in Lucam c. 14. necnon Theophylactus in c. 9. Marci, eandemque ex Scholæ Theologis amplecti volu t Catharinus.

Circa vero modum quo dæmones ac damnatorum hominum animas corporeus ignis excruciet, eſt quidem multiplex in Scholis opinio; at Ven. Scoti & S. Thomæ diſcipuli communiter aſſerunt, id ignem præſtare, quatenus ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ, ſpiritus illos detinet alligatos, tum quoad locum, ne pro ipſorum libito poſſint longe lateque vagari, tum quoad operationem, ne ad cogitanda alia objecta poſſint expedite converti.

Et ſane Scriptura dæmonum cruciatus per vincula, rudentes, alligationem, detentionemque non raro deſcribit. Unde S. Judas in epiſtola ſua v. 6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum . . . in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Et S. Petrus in ep. 2. c. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Denique, ut textus alios omittamus, habetur in Apoc. c. 20. v. 2. & 3. *Et apprehendit* Angelus *draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligavit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum.*

Ita quoque pœnam, quam ſpiritus ab igne corporeo patiuntur, expoſuit Auguſtinus in lib. 21. de C. D. c. 10. ubi ait: *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus corporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profecto in-*

incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſint corpora, ſpiritus dæmonum, imo ſpiritus dæmones, licet incorporei, ignibus cruciandi, non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore, ſed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dando ignibus vitam. Ita ſimiliter rem iſtam explicant Gregorius in lib. 4. dialog. c. 29. & Julianus Toletanus Epiſcopus in lib. 2. Prognoſt. c. 27.

Quod autem ob ejuſcemodi alligationem, detentionem, ſive adhæſionem dæmones ac impiorum animæ ſummo dolore triſtitiaque premantur, inde colligitur, quod, uti ait Auguſtinus in lib. 14. de C. D. c. 15. *Animæ dolor, qui triſtitia nuncupatur, diſſenſio eſt ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt*: quo igitur major eſt rationalis naturæ & voluntatis diſſenſio, majorque reniſus, eo etiam rationalis dolor eſt major: atqui ſumme dæmones ab ignis detentione diſſentiunt. Tanta eſt enim illorum naturæ præſtantia, ut ei corporalia omnia jure ſubdantur; eſt etiam talis ac tanta ſuperbia, ut ſubjici Deo noluerint; dum ergo ſe vident in viliſſimo loco dejectos, & a corporeo ignis elemento velut in anguſto carcere, violente detentos, ne pro libito gradiantur, non poterunt immenſo non exardere dolore.

Sed gravius adhuc acerbiuſque triſtantur, ex quo ſe ita igni ligatos agnoſcunt, ut *eorum intellectus determinetur perpetuo ad intenſe conſiderandum; ignem in ratione objecti* uti Ven. Sco-

Scotus ait in 4. d. 44. q. 2. Etſi enim poſſint dæmones alia objecta cognoſcere, non tamen cum ea libertate ac intenſione qua poſſent, niſi eorum mens ad contemplandum perpetuo ignem ex Dei juſtitia cogeretur. Hinc de ejuſcemodi objectiva, ut inquiunt, detentione vehementius dolent altiusque triſtantur, quam de detentione locali; quia per hanc ſolummodo præpeditur liber uſus motivæ potentiæ quoad locum, per illam vero præpeditur etiam liber intelligentiæ uſus, ne ad voluntatis imperium objecta quæcunque expedite perfecteque conſideret. Bene igitur Subtilis Doctor advertit, quod quanto intellectus eſt motiva virtute perfectior, tanto magis per alligationem in intellectu, quam per alligationem in loco dæmones ab igne torquentur; *quia ubi eſt major nolitio, & æque certa apprehenſio de eventu, ſequitur major triſtitia.*

Hæc ergo triſtitia, interiorque dolor, quem in dæmonum mente efficit ignis per localem, & objectivam detentionem, eſt illa incorporea flamma, ac inviſibilis ardor, de quo Gregorius in 4. dialog. c. 29. ſic ait: *Teneri ſpiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis ſit videndo, atque ſentiendo. Ignem namque eo ipſo patitur, quo videt, & quia concremari ſe aſpicit, concrematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili, ardor ac dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. Quamvis colligere ex dictis Evangelicis poſſumus, quia incendium anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo patiatur &c.*

Ut vero Scotiſtæ declarent, quomodo ſpiritua-

tuales ſubſtantiæ experiantur ignis incendium, & urentem ignem pati dicantur, advertunt, quod ignis in corpus rationali anima informatum duplicem habet actionem, realem unam, qua materialem calorem inducit; intentionalem alteram, qua per calefacti corporis occaſionem ac paſſionem, ignis idea in intellectum, indeque in voluntatem triſtitia & mœror immittitur. Poteſt autem, abſolute loquendo, prima actio a ſecunda disjungi, & ad inferendum dolorem ſola intentionalis actio ſufficit, at ſine intentionali actione non ſufficit actio ſola realis: hinc lignum quantumlibet calefiat, non tamen ullo dolore percellitur. Ergo volente Deo poterit ignis per modum inſtrumentalis cauſæ ſine prævia corporis paſſione efficere in Angelo, vel in anima a corpore ſeparata ſolam intelligibilem paſſionem, & internum voluntatis dolorem ac triſtitiam, eandemque adeo vehementem, uti pati ſolet anima conjuncta corpori, cum corpus ipſum prævia ſenſibili paſſione comburitur.

Quare bene dicitur, quod ſicuti ſpiritus copulari poteſt corpori, ut vitam ei communicet; ita poſſit ſpiritus igni uniri, ut pœnam ab illo trahat, eandemque prorſus ei ſimilem, quam ab igne traheret, ſi eſſet in corpore: licet tam utriuſque unionis, quam hujuſce actionis & paſſionis modus explicari non poſſit; uti etiam ex S. Auguſtino in ſupra citato lib. 21. de C. D. c. 10. manifeſte deducitur.

Ex dictis apparet, quod non fruſtra ponatur in igne ſupernaturalis hæc actio, qua poſſit ſpirituales torquere ſubſtantias. Ut enim adnotat S. Thomas in 4. contra Gentes c.

90.

96. omne peccatum ex eo oritur, quod rationalis creatura *Deo obediendo non ſubditur: pœna autem proportionaliter debet culpæ reſpondere, ut voluntas in contrario ejus affligatur, quod diligendo peccavit. Eſt igitur conveniens pœna naturæ rationali peccanti, ut rebus ſe inferioribus, ſcilicet corporalibus, quodammodo alligata ſubdatur.*

Præterea ſicut Deus etſi non adhibita re corporea poſſit animam a peccato mundare, vult tamen eam mundare per corporeum elementum non quodcunque, ſed maxime mundativum, nempe per aquam; ita quamvis poſſit non adhibito elemento corporeo ſpiritualem ſubſtantiam pro peccato punire, id tamen præſtare vult per corporeum elementum, non quodcunque, ſed per ignem, qui maxime activus eſt, maximeque diſcruciat.

At dices 1. Plures ex malis Angelis in aerea regione verſantur, ut diximus in lib. 9. c. 14. Non ergo quoad locum ab inferni igne ligantur; proindeque &c.

Reſp. cum S.Thoma in 4. d.44. q.3. a.3. quæſtiunc.3. ad 8.,, quod ſpiritus damnati nunquam ſunt ,, extra infernum, niſi ex diſpenſatione divina, ,, vel ad inſtructionem, vel ad exercitium E- ,, lectorum. Ubicunque extra infernum ſunt, ,, ſemper tamen vident ignem inferni ut eis ,, in pœnam præparatum: unde cum iſta viſio ,, ſit immediate affligens, ut dictum eſt, ubi- ,, cunque ſunt, ab igne inferni affliguntur: ,, ſicut & captivi etiam extra carcerem exi- ,, ſtentes, quodammodo a carcere affliguntur, ,, dum vident ſe ad carcerem damnatos. Un- ,, de ſicut gloria Electorum in nullo minui-

,, tur,

„ tur, nec quantum ad præmium eſſentiale,
„ neque quantum ad accidentale, ſi aliquando
„ extra Cœlum Empyreum ſint, quod quo-
„ dammodo in gloriam eorum cedit: ita etiam
„ in nullo minuitur pœna damnatorum, ſi
„ extra infernum ex divina diſpenſatione ad
„ tempus ponantur. Et hoc eſt quod dicit
„ Gloſſa ſuper illud Jacobi 3. *Inflammat rotam*
„ *nativitatis &c.* Diabolus ubicunque ſit, ſive
„ ſub aere, ſive ſub terra, ſecum fert tormen-
„ ta ſuarum flammarum. " Hanc nos Bedæ
gloſſam attulimus in fine citati c. 14. libri 9.

Dices 2. Damnati ſpiritus inæqualiter deliquerunt; ergo inæqualiter etiam cruciantur: atqui eſt æqualis in omnibus tum localis illa, tum objectiva detentio: nequit igitur eorum pœna in ejuſcemodi detentione conſtitui.

Reſp. quod ſicuti argumentum hocce non tenet: Omnes Angeli per conjunctionem cum Deo beantur; ergo omnes in intenſione beatitudinis ſunt æquales: ita neque adducta tenet objectio. Nam ſicut Beatus unus alio magis intenſive Deo conjungitur; ita damnatus unus alio magis alligatur, & in operando impeditur, ac igni tortori ſubjicitur; prout nempe alius alio gravius peccatum admiſit; etſi omnes per detentionem, ſubjectionemque in igne torqueri dicantur.

Ex huc uſque dictis infertur, quod etſi corporeus ignis vere proprieque incorporeos ſpiritus affligat; non tamen id *phyſice* præſtat, ſed *intentionaliter*, ſive *moraliter*: nullam enim phyſicam ac connaturalem actionem poteſt materialis ignis in ſpirituales ſubſtantias exercere; proindeque per id dumtaxat affligit, quod
in-

inſtrumentum eſt divinæ juſtitiæ, redditurque contrarius libertati, *ſpiritum retardando ab executione propriæ voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari ubi vult, & ſecundum quod vult*; uti ait Angel. Doctor in 4. d. 44. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 3.

CAPUT IX.

Num infantuli ſine Baptiſmate morientes pœna aliqua in inferno plectantur?

PElagiani peccatum originale negantes, affirmare ſunt auſi, quod infantes rationis uſum non adhuc habentes, ſi ante Baptiſmatis ſuſceptionem ex hac vita migrarent, excluderentur quidem a Regno Cœlorum, ad vitam tamen pervenirent æternam.

At putidiſſimus error facili obviaque argumentatione convellitur. Nam ut etiam in lib. 13. erga finem c. 5. notavimus, omnino perperam Regnum Cœlorum ab æterna vita diſtinguitur. Hinc Chriſtus ipſe Marci 16. v. 16. aperte ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. At qui condemnatur, æternæ vitæ particeps eſſe non poteſt: Nequit igitur æternam vitam conſequi, quiſquis ſine Baptiſmo decedit.

Deinde idem Chriſtus Joan. 3. v. 16. inquit: *Sic*

Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quibus profecto verbis evidenter apparet, quod æterna vita privandi ſint, quicunque habituali fide caruerint.

Præterea Joan. 14. v. 6. de ſeipſo Salvator dicit: *Ego ſum via, & veritas, & vita*. Niſi ergo in Chriſto renaſcantur infantes, æternam vitam obtinere non poterunt.

His adſtipulantur Milevitanæ Synodi Patres, qui in epiſt. ad Innocentium inter Auguſtinianas 176. alias 92. n. 2. ajunt: *Pueros quoque parvulos, etſi nullis innoventur Chriſtianæ gratiæ ſacramentis, habituros vitam æternam, nequam præſumptione contendunt, evacuantes, quod dicit Apoſtolus*, Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt: *& alio loco*, nempe in 1. ad Cor. 15. v. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.

Denique Pelagianam hæreſim reprobavit Dioſpolitana Synodus, necnon Carthaginenſis in epiſt. ad laudatum Pontificem inter Auguſtinianas 175. alias 90. & Innocentius ipſe, cujus epiſtolam ſententiamque refert S. Auguſtinus in lib. 2. ad Bonifacium c. 4.

Jam ergo de fide conſtat, quod infantes ſine Baptiſmate decedentes æterna vita minime perfruantur; adeoque quod damni pœnam illi ſuſtineant. Nonnulli vero benigniores æquo Theologi, uti Ambroſius Catharinus, Albertus Pighius, aliique putarunt, quod infantes illi na-

naturali beatitudine gaudeant, & quod peracto extremo judicio hujuſce terræ futuri ſint incolæ, multiplici bonorum genere affluentes.

Verum opinio iſthæc vulgo meritoque a Theologis improbatur. Si enim ad naturalem aliquam beatitudinem, ejuſcemodi parvuli pervenirent, hæc ſane foret medius ille locus, quem Pelagius inter Regnum cœlorum, damnationemque confinxit, & de quo S. Auguſtinus in lib. 1. de anima & ejus origine c. 9. ait: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque cœlorum, quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum. Hoc enim eis etiam hæreſis Pelagiana promiſit.* Hic profecto parvuli non ſolius ſupernaturalis felicitatis, ſed *cujuslibet*, aſſeruntur expertes, ſi non renati deceſſerint.

Accedit inſuper, quod Eugenius IV. in Literis unionis ait: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Nulla autem apparet ratio, cur inde poſt judicii diem liberandas eſſe parvulorum animas aſſeramus; præſertim cum Eccleſiaſtes affirmet c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Neque tandem opinio iſthæc ullo in Scripturis vel Patribus fundamento fulcitur, eandemque Cl. Eſtius in 2. d. 33. §. 6. periculoſam, ac temerariam appellare non dubitat.

Patet itaque, quod pueruli ſi non Baptiſmatis lavacro renati deceſſerint, naturali etiam beatitate priventur; idque Scholæ Doctores communi conſenſu tuentur. Num vero iidem

parvuli aliqua ſenſibili pœna plectantur, non una eſt Scholaſticorum opinio. Plures qui ſe Auguſtini dogmata ſequi gloriantur, exiſtimant, eos nedum dolore aliquo macerari ob excluſionem a Regno cœlorum, ſed & pati ignis æterni pœnam; licet hæc lenis admodum ſit & mitiſſima relate ad illos, qui actualia peccata patrarunt. Ita ſentiunt Noriſius, Berti, aliique.

At Sententiarum Magiſter, Alexander Alenſis, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Ven. Scotus, & alii arbitrantur, quod parvuli illi puniendi quidem ſint pœna damni, quæ in perpetua beatificæ viſionis privatione conſiſtit; nullam tamen experturi ſint ſenſibilem pœnam, quæ vel ab igne, vel ab interiore triſtitia aut dolore procedat.

Quidam denique, quos inter Abulenſis in c. 25. Matth. q. *666.* & *671.* necnon Bellarminus in lib. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati c. *6.* & 7. ſentiunt, quod infantes illi ignis quidem pœna plectendi non ſint; triſtitiæ tamen, mœroriſque pœnam de amiſſione æternæ beatitudinis ſint paſſuri. Nos autem in tanta opinionum varietate licet nihil definite affirmandum eſſe putemus, in veterum tamen Scholaſticorum noſtrorum gratiam de abſtruſiori quæſtione breviter diſſeremus. Eſto itaque

Propoſitio. Non prorſus improbabile eſt, quod parvuli cum originali tantum peccato morientes pœnam ex igne non ſentiant; neque ulla interiori triſtitiâ crucientur.

Primam aſſertionis partem ita ſuadere conatur S. Bonaventura in 2. d. 33. a. 3 q. 1. „ Au„ guſtinus in Enchir. c. 93. ait: *Mitiſſima ſa-*
„ *ne*

„ *ne omnium pœna erit eorum , qui præter peccatum , quod originaliter traxerunt , nullum inſuper addiderunt* . Sed ſi parvuli carerent „ viſione Dei , & punirentur igne materiali , „ non haberent mitiſſimam pœnam . Si igitur „ nemo dubitat eos viſione Dei privandos , „ videtur nullo modo eſſe ipſos corporali ſupplicio puniendos . . . . .

„ Item : Acerbitas pœnæ reſpondet quantitati delectationis juxta illud Apoc. 18. v. 7. „ *Quantum glorificavit ſe , & in deliciis fuit , tantum date illi tormentum , & luctum* . Sed „ anima , quæ conjuncta fuit corpori parvuli „ infirmanti , & debili , nullam delectationem „ inordinatam in corpore ſenſit : ergo videtur, „ quod ſibi non debeatur acerbitas pœnæ ſenſibilis .

Id quoque confirmare quis poſſet ex S. Thoma , qui in q. 5. de malo a. 2. ait : „ Pœna proportionatur culpæ : & ideo peccato „ actuali mortali , in quo invenitur averſio ab imcommutabili bono , & converſio „ ad bonum commutabile , debetur & pœna „ damni , ſcilicet carentia viſionis divinæ reſpondens averſioni , & pœna ſenſus reſpondens converſioni . Sed in peccato originali „ non eſt converſio, ſed ſola averſio , vel aliquid averſioni reſpondens , ſcilicet deſtitutio „ animæ a juſtitia originali : & ideo peccato „ originali non debetur pœna ſenſus , ſed ſolum pœna damni , ſcilicet carentia viſionis „ divinæ .

Et ſane , ſubdit Doctor Angelicus , „ pœna „ ſenſus nunquam debetur habituali diſpoſitioni : non enim aliquis punitur ex hoc , quod

„ eſt habilis ad furandum, ſed ex hoc, quod
„ actu furatur: ſed habituali privationi abſque
„ omni actu debetur aliquod damnum, puta
„ qui non habet ſcientiam literarum, ex hoc
„ ipſo indignus eſt promotione ad Epiſcopa-
„ lem dignitatem. In peccato autem originali
„ invenitur quædam concupiſcentia, per mo-
„ dum habitualis diſpoſitionis, quæ parvulum
„ facit habilem ad concupiſcendum, ut Au-
„ guſtinus dicit, adultum autem actu concupi-
„ ſcentem: & ideo parvulo defuncto cum ori-
„ ginali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum
„ pœna damni, quia ſcilicet non eſt idoneus
„ perduci ad viſionem divinam propter priva-
„ tionem originalis juſtitiæ.

Subtilis denique Doctor de utraque propoſitionis parte ſic loquitur in 2. d. 33. q. unica n. 2. „ Hic videtur Magiſtrorum ſententia,
„ quod damnati pro ſolo peccato originali nul-
„ lam habebunt pœnam ſenſus exterioris, pu-
„ ta ignis; quia nullam delectationem inordi-
„ natam habuerunt, cui delectationi correſpon-
„ deat acerbitas ignis affligentis, ut propria
„ pœna. Nullam etiam habebunt pœnam in-
„ teriorem, ut triſtitiam; quia ſi triſtarentur
„ de ſtatu ſuo, & triſtitia ſecundum Auguſti-
„ num ſit de his, quæ nobis invitis accidunt:
„ ergo ipſi involuntarie ſuſtinerent ſtatum ſuum,
„ & vellent oppoſitum, & ita murmurarent
„ contra diſpoſitionem divinam, & ita habe-
„ rent inordinatam diſpoſitionem voluntatis;
„ quod videtur abſurdum: nam ſententia divi-
„ na eſt diſpoſitum, quod ubicunque cecide-
„ rit lignum, ibi erit, Eccleſiaſtæ c. 11. Igi-
„ tur cum iſti nullam inordinatam volitionem
„ ha-

„ habuerunt in iſto ſtatu, ſequitur, quod nullam triſtitiam interiorem habebunt.

„ Præterea ſi triſtarentur de carentia beatitudinis, & viſionis divinæ: cum deſperarent de ea, quia non habebunt ſpem; igitur habebunt pœnam graviſſimam inter pœnas omnium damnatorum, ſcilicet triſtitiam ex deſperatione: " Id autem adverſæ ſententiæ Defenſores affirmare non audent; cum parvulis illis leviſſimam damnationem, pœnamque mitiſſimam tribuerit Auguſtinus.

Hæc quæ ex Ven. Scoto retulimus, jam antea S. Bonaventura tradiderat in 2. d. 33. a. 3. q. 2. qui ibidem etiam ita argumentatur: „ Si parvuli decedentes in originali dolebunt poſt hanc vitam, aut dolebunt de culpa, aut de damno. Si de culpa dolebunt: ergo erunt juſti. Si de damno dolebunt; cum illud damnum, & pœna carentiæ viſionis Dei ſit juſta, & qui dolet de juſto, eſt injuſtus; videtur, quod in animabus decedentibus cum originali, non tantum ſit culpa originalis, ſed etiam actualis.

At contra 1. partem opponunt 1. Deſcribitur univerſale judicium Matth. 3. v. 12. & 13. v. 36. & 25. v. 32. Apocalypſ. 20. v. 15. aliiſque in locis. Priori loco hæc verba occurrunt: *Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quæ verba repetuntur Lucæ c. 3. v. 17.

Altero in loco legitur: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

In tertio habetur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris:* & v. 41. *Tunc dicet his, qui a ſiniſtris erunt, diſcedite maledicti in ignem æternum*. Poſtremo ita tragœdia abſolvitur: *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*.

Parvuli ſane non ſunt triticum, quod congregatur in horreum: non ſunt oves, quæ ſtatuantur a dextris: non ſunt prædeſtinati, qui ſcripti inveniantur in libro vitæ. Sunt ergo paleæ, & zizania alliganda ad comburendum: ſunt hœdi locandi a ſiniſtris, & in gehennam trahendi: ſunt reprobi detrudendi in ſtagnum ignis.

Notiſſima ſunt Auguſtini verba hoc argumenti genus mirifice comprobantis: *Venturus eſt Dominus* (inquit ſerm. 14. de verbis Apoſtoli c. 3.) *& judicaturus de vivis, & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dexteram & ſiniſtram. Siniſtris dicturus eſt: Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi: hanc regnum nominat: hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes*. Et paucis interjectis: *Qui non in dextera, proculdubio in ſiniſtra. Ergo qui non in regnum, proculdubio in ignem æternum*.

Thomiſtæ vero ac Scotiſtæ paſſim reſpondent, quod objecta Scripturæ teſtimonia de adul-

adultis intelligenda ſint, uti ex contextibus demonſtrari videtur. Deinde etſi non ad adultos tantum, ſed ad parvulos etiam extendantur, accommode ad peccata poſſint exponi; ut nempe adulti, qui propria voluntate peccarunt, excludantur a Regno, & inſuper detrudantur in ignem, ab eo in perpetuum affligendi; parvuli vero, qui peccatum dumtaxat contrahunt aliena voluntate commiſſum, ejiciantur quidem a Regno, & in ignem mittantur, quin tamen ignis ardore vexentur. *Eſt poſitio mitior*, inquit S. Bonaventura in 2. d. 33. a. 3. q. 1., *quæ magis concordat pietati fidei, & judicio rationis, quod quia parvuli decedentes cum originali carent juſtitia, & Spiritus Sancti gratia, quæ eſt pignus hæreditatis æternæ, privantur in æternum Dei viſione: quia vero in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali: ſed quia non habuerunt in ſe actualem delectationem peccati, nec in ſpiritu, nec in carne, ideo non ſentiunt pœnæ ignis acerbitatem. Hunc modum dicendi magis approbant Magiſtri communiter.*

Scribit præterea S. Thomas in q. 5. de malo a. 2. ad 1. *quod nomen tormenti, ſupplicii, gehennæ, & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum inveniatur, eſt large accipiendum pro pœna, ut ponatur ſpecies pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in parvulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi.* Hinc quod ignis nomen quamcunque pœnam aliquando ſignificet, nonnulli ex S. Auguſtino confirmare conantur. Enarratione enim in Pſal. 65. exponens v. 12.

 Tran-

Tranſivimus per ignem, & aquam, ait S. Doctor: *Quando ſunt res anguſtæ, & aliqua quæ infelicitas dicitur in hoc mundo, quaſi ignis eſt: quando ſunt res proſperæ, & abundantia ſeculi circumfluit, quaſi aqua eſt*. Et q. 9. in Joſue ſcribit: *Ignis nomine potuiſſe pœnam ſignificari, Scriptura teſtis eſt in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Iſrael:* Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto: *ubi utique duram tribulationem intelligi voluit*.

Ajunt poſtremo, quod S. Auguſtinus in ſerm. 294. olim 14. de verbis Apoſtoli c. 3. contra Pelagianos agat, oſtendatque baptizandos eſſe parvulos, ut ab æterna damnatione eruantur, & vitam conſequantur æternam, quam a Cœlorum Regno diſtinctam non eſſe pronunciat. Hinc medius ille locus, quem Auguſtinus impugnat, eſt paradiſus a Pelagianorum ſecta confictus. Ait enim S. Doctor: *Hoc novum in Eccleſia, prius inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter Regnum cœlorum, eſſe ſalutem æternam præter Regnum Dei. Primo vide, Frater, ne forte hinc conſentire nobis debeas, quiſquis ad Regnum Dei non pertinet, eum ad damnationem ſine dubio pertinere. Venturus Dominus &c.* Unde arbitrantur, quod etſi parvuli peccato mortui, non ſine damni pœna ſint a ſiniſtris collocandi, damnandique, ut in profundis inferni tenebris conticeſcant, non tamen ignis ardore crementur.

Eodem modo innumeris Patrum, & Auguſtini præſertim, teſtimoniis occurrunt, qui Ven. Scoti, & S. Thomæ ſententiam amplectuntur, illudque regerunt, quod laudato ſuperius loco ait S. Bonaventura: *Auguſtinus in verbis illis*

non

non intendit dicere, quod parvuli ſenſibiliter cfuciantur; ſed intendit eorum pœnam manifeſtare quantum ad carentiam viſionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci. Et hoc valde abundanter exprimit plus dicens, & minus volens intelligi. Nec ſine cauſa loquitur ſic: hoc enim facit ad extirpandam illam hæreſim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri. Unde ſicut in moribus documentum eſt, quod qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quaſi debet declinare ad aliud extremum, ſicut docet Philoſophus in 2. Ethic. c. 8. *ſic etiam Beatus Auguſtinus ut illam hæreſim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ viſionis Dei, ſimpliciter aſſeruit eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari. Juſtum autem ſuum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit pœnam eorum eſſe mitiſſimam, ſicut dicit Magiſter in litera.*

Iidem quoque Theologi quoſdam ex Patribus pro ſua opinione commendant, ac primo Gregorium Nazianzenum, qui Orat. 40. in S. Baptiſma, eorum qui non baptizati ex hac vita diſcedunt, ſtatuit tertium genus, ideſt parvulorum, qui non ex propria, ſed aliorum negligentia Baptiſmate caruerunt, de quibus ait: *Nec cæleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto Judice afficientur, utpote qui licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint*. Nyſſenus etiam Orat. 1. aſſerit ejuſcemodi pueros *in doloribus, ac mœſtitia* non eſſe futuros. His denique addunt nonnulli S. Ambroſium in lib. 2. de Abraham c. ultimo, Gregorium M. in lib. 13. Mor. c. 21. Bernardum in ſerm. 3. de Paſcha-

ſchate, & Innocentium III. in cap. *Majores*, *de Baptiſmo & ejus effectu*. Lege Eſtium in 2. d. 33. §. 8.

Objectant 2. Sub diaboli poteſtate ſunt parvuli, qui originali peccato naſcuntur obnoxii. Atqui diabolus, dum ei occulta juſtitia permittitur, captivos parvulos in hac vita divexat, animam & corpus affligit, ſenſus ſanitatemque pervertit, ut experimento compertum eſt, docetque etiam Auguſtinus in lib. 1. operis imperf. c. 88. Jactabit ergo vehementius, affliget, peſſundabit, cum direptos, inferiſque aſſervatos vindice flamma conſtringet.

Reſp. ex eo quod in hac vita Deus quandoque permittat captivos parvulos quoad animam corpuſque a diabolo cruciari, non recte deduci, quod Deus illi idipſum in altera vita concedet; *quandoquidem*, uti ad rem adnotat Auguſtinus in lib. 6. contra Jul. c. 10., *etiam baptizati parvuli inter alia mala vitæ hujus nonnunquam & iſtos dæmonum patiuntur incurſus, quamvis eruti de poteſtate tenebrarum, ne ab eis trahantur in ſupplicium ſempiternum*.

Aliter igitur de præſentis, aliter de futuræ vitæ pœnis dicendum eſt. Hac enim in vita; uti ſcribit Angelicus Doctor in q. 5. de malo a. 4., parvuli quidam mox nati vel vexantur a dæmone, vel cæci naſcuntur, vel alia incommoda perferunt; *quandoque quidem propter aliqua peccata parentum. Cum enim filius ſit aliquid patris ſecundum corpus, quod ab ipſo trahit, non autem ſecundum animam, quæ immediate a Deo creatur; non eſt inconveniens, quod pro peccato patris filius corporaliter puniatur, licet non pœna ſpirituali, quæ pertinet ad animam*,

niam , ſicut etiam homo punitur in aliis rebus ſuis . Quandoque vero ordinantur hujuſmodi defectus , non ut pœna peccati alicujus , ſed ut remedium contra peccatum ſequens , vel propter profectum virtutis , aut ejus qui hoc patitur , aut alterius ; ſicut Dominus dicit Joan. 9. de cæco nato : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo : *quod expediens erat ad humanam ſalutem . Sed hoc ipſum, quod homo talis conditionis eſt, ut ei ſubveniatur vel ad vitandum peccatum, vel ad profectum virtutis per hujuſmodi incommoda , ſive defectus , ad infirmitatem humanæ naturæ pertinet , quæ ex peccato primi parentis derivatur : ſicut quod corpus hominis ſit ſic diſpoſitum, quod ad eum ſanandum indigeat ſectione, ad ejus infirmitatem pertinet . Et ideo omnes iſti defectus reſpondent peccato originali ; ut pœna concomitans.*

At vero *poſt mortem*, inquit idem S. Doctor laudato in loco ad 5., *non eſt ſtatus proficiendi ad virtutem , vel deficiendi per peccatum , ſed recipiendi pro meritis ; unde omnes defectus , qui ſunt poſt mortem taxantur pro culpa ; non autem ordinant vel ad profectum virtutis , vel ad evitationem peccati . Et inde eſt , quod pueris poſt mortem non debetur pœna ſenſus .*

Sed inſtabis. Parvuli baptizati de alieno merito reportant bona corporis , quoniam in regeneratione ſpirituali evacuatur caro peccati , & per Baptiſmum adſciſcuntur in Eccleſiam Chriſti , qui ſanctificat animam , & glorificat corpora : ergo non baptizati reportant mala corporis , quia generatione corporali trahunt ex Adam carnem peccati , & per noxam originariam numerantur in familiam diaboli , in cu-

cujus domo eſt cruciatus animi, & corpus eſca flammarum.

Reſpondent autem benigniores Theologi tum ex dictis, tum ex iis quæ reponit S. Thomas in q. 5. de malo a. 3. ad 2. *Quod ſicut Apoſtolus dicit Rom. 5., majus eſt donum Chriſti, quam peccatum Adæ. Et ideo non oportet, ſi pueri baptizati gaudent propter meritum Chriſti, quod non baptizati doleant propter peccatum Adæ;* aut quod in corpore crucientur.

Objiciunt 3. contra 2. partem. Pœna concipi nequit, quin concipiatur incommodum, animadverſio, & mulcta, cui reus animo, aut corpore ſubjicitur, & per quam dolore aliquo cruciatur. Si ergo parvuli illi pœnam damni ſuſtinent, profecto triſtantur ac dolent.

Et ſane ob originale peccatum pueri naſcuntur filii iræ, ut Apoſtolus loquitur 2. cap. v. 3. ad Epheſ., ideſt filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, ut lectione 1. docet S. Thomas: iram ergo, vindictam, pœnam, gehennam perferunt, ac dependunt.

Deinde fides docet, illos damnari, & arceri a regno Cœlorum; quod graviſſimum ſupplicium eſſe tradunt unanimi conſenſione Patres, maxime Chryſoſtomus hom. 47. & 57. ad Populum Antiochenum, & Baſilius in Pſal. 33.

Inſuper per Concilium Florentinum ſeſſ. ult. definitum eſt, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas*. Quid eſt autem puniri, niſi caſtigari, plecti, ſupplicio affici?

At validæ argumentationi reſpondent, quod aliud ſit pœnam pati, aliud vero ſit dolorem

ex inflicta pœna ſentire, interiuſque vexari; uti patet etiam in dormientibus & in iis qui ſtupefacta & ad operationem inepta membra habent: hi enim pati aliquid poſſunt in corpore, quin ſenſibilem pœnam doloremque concipiant. Ut enim ſcribit Scotus in 2. d. 33. q. unica, cognitio beatitudinis in particulari *non eſt poſſibilis homini, niſi ſupernaturaliter elevetur: vel igitur non dabitur illis illa cognitio ſupernaturalis in particulari, quia eſſet eis ad triſtitiam, quam non demeruerunt habere, ſicut demeruit Paganus, propter quod demeritum ſibi cedit cognitio beatitudinis in particulari ad pœnam graviſſimam, ut ſcilicet triſtetur deſperans ſe poſſe ad iſtam pervenire: vel ſi iſtam cognitionem in particulari habebunt, non triſtabuntur; quia erunt contenti de ſtatu ſuo, ſcientes Deum de ſe ita diſpoſuiſſe, nec ſuo actu hoc aliquando demeruiſſe*. Cum enim illi nullam in hac vita inordinatam affectionem habuerint, idcirco neque habebunt in altera; haberent autem, ſi inviti repugnanteſque inflictas ſibi miſerias ſuſtinerent: tunc enim oppoſitum ejus vellent, quod Deus de ipſorum conditione diſponeret, ſicque contra Dei ordinationem triſtiſſimi murmurarent: non ergo ex damni pœna dolorem ullum triſtitiamque percipient; etiamſi quis cum Seraph. Doctore in 2. d. 33, a. 3. q. 2. concederet, quod infantes illi gloriam quam amiſerunt, agnoſcant.

Quod ſi inſtare volueris: Multiplicanda non ſunt ſine neceſſitate miracula: atqui niſi per inſigne miraculum evenire non poteſt, quod ex amiſſæ beatitudinis cognitione dolor omnino non ſentiatur.

Re-

Reponent, quod in futuro ſeculo naturales cauſæ non juxta conſuetum naturæ curſum agent, ſed juxta ordinem ac leges, quas eis divina juſtitia ſapienter impoſuit. Ita præter ordinem naturæ contingit, quod voraciſſimus inferni ignis damnatorum corpora in nihilum non redigat, & quod unum præ alio vehementius urat. Nihil ergo mirandum ſi deperditæ felicitatis agnitio ſenſibilem pœnam infantibus non afferret; cum ſpectare ad Dei providentiam videatur, ut interno dolore non afficiantur illi, qui nunquam propria voluntate peccarunt,

Hinc ad ea quæ ſuperius adducta ſunt, regerunt mitiores Scholæ Theologi, quod etſi parvuli naſcantur filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, ac propterea Dei viſione ac cœleſti gaudio privandi ſint, & ad tartara detrahendi, niſi per Baptiſmi gratiam renaſcantur; ſi tamen antequam regenerentur, obierint, nullum dolorem ex damni pœna experientur, Deo pro eis ita diſponente, ut qui inordinatam in hoc ſeculo affectionem non habuerunt, neque habeant in futuro, ſintque de divina ordinatione ac de ſuo ſtatu contenti. Et quamvis unanimi conſenſione Patres affirment, graviſſimum eſſe ſupplicium a regno cœlorum excludi; illorum tamen mens explicanda videtur, non de parvulis, ſed de adultis, *qui*, uti in citato loco q. 2. ait S. Bonaventura, *excluduntur merito actualis peccati, qui vermem conſcientiæ, & remorſum ſunt habituri*: alioquin parvulorum illorum damnatio non eſſet leviſſima, neque pœna mitiſſima; ſicuti ex Auguſtino adverſæ etiam opinionis Patroni fatentur.

Po-

Poſtremo cum Concilium Florentinum diſpares in inferno pœnas eſſe pro diſparitate peccatorum affirmet, nihilque addat, quo decedentibus cum ſolo originali ſenſibilem pœnam aliquam reſervatam eſſe commonſtret; volunt hujuſce ſententiæ Defenſores, quod puniendi dicantur parvuli, quatenus ſolam damni pœnam obibunt juxta modum ex Scoto ſuperius explicatum; quo etiam in ſenſu nonnullas Auguſtini auctoritates exponunt.

Et hæc quidem a nobis breviter collecta ac illuſtrata ſufficiunt, ut Candidati potiora utriuſque partis argumenta in difficillima & inſolubili quæſtione non prorſus ignorent. Poſtremo autem S. Auguſtini modeſtiam laudamus, imitandamque monemus, qui hac de re in lib. 5. contra Jul. c. 11. ita ſcribit: *Ego autem non dico, parvulos ſine Chriſti Baptiſmate morientes tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret; cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius, in die judicii punietur; quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non poſſim; non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli eſſent, quam ut ibi eſſent, potius expediret.*

Illud etiam adnotamus, Bajum nempe in ſua Theſi inter proſcriptas quadrageſima nona dixiſſe: *Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens ſine regenerationis Sacramen-*

mento , quando uſum rationis conſecutus erit , actualiter Deum odio habeat , Deum blaſphemet , & legi Dei repugnet .

DE

DE
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER XXII.

Ubi quæ ad Purgatorium pertinent, breviter explanantur.

Purgatorii nomine locum illum deſignat Eccleſia, in quo quorundam fidelium animæ propter peccata in hac vita commiſſa, nec plene expiata, poſt mortem pœnis quibuſdam afflictæ detinentur, donec purgatæ tandem Beatorum in Cœlo conſortium aſſequantur. Hujuſce loci exiſtentiam juxta Catholicam veritatem hoc in libro probabimus, ac de animarum ibidem degentium ſtatu nonnulla pro inſtituti ratione tradenus.

CAPUT I.

In quo Purgatorii exiſtentia paulo fuſius demonſtratur.

AErius omnium primus circa Chriſti annum 340. Purgatorium denegaſſe videtur. Is enim, uti ſcribit Auguſtinus in lib. de hæreſibus c. 53., in Arianorum hæreſim lapſus, proprios etiam adinvenit errores, quos inter aſſeruit, quod non oporteret, orare, vel oblationem offerre pro mortuis. Idipſum poſtea XII. ſeculo affirmarunt Petrobruiſſiani, & Waldenſes, ac Albigenſes, quos nonnulli ſub XIII. ſeculi initia exortos exiſtimant.

Poſtremo Lutherus aſſeruit, Purgatorium commentum eſſe Papiſticum. Itemque Calvinus in lib. 3. Inſtitutionum c. 5. §. 6. aliquos improbans, qui volebant quæſtionem de exiſtentia Purgatorii prudenti quadam ex cauſa premendam eſſe ſilentio, ait: *Clamandum ergo non modo vocis, ſed gutturis, ac laterum contentione, Purgatorium exitiale ſatanæ eſſe commentum, quod Chriſti Crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit, ac evertit.*

Propoſitio. Certa fide tenendum eſt, quod poſt hanc vitam ſit Purgatorii locus, in quo Juſtorum animæ, quæ hinc non plene purgatæ decedunt, ad expiationem manent, priuſquam admittantur in Cœlum. Pro-

Probatur. In 1. Machab. c. 12. recenſetur, quod Judas Machabæus offerri juſſerit ſacrificium pro peccatis militum in bello cœſorum. Factum iſtud tanquam ex religioſa voluntate profectum Scriptura commendat, ac tandem v. 46. ita concludit: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Atqui a peccato quis ſolvitur, cum debita ei pro peccato pœna remittitur. Ergo quorundam animæ in altera vita pœnas patiuntur, quibus per orationes, & ſacrificia ſolvi poſſunt.

At contra dicunt 1. præfatum librum non eſſe Canonicum, cum in Hebræorum canone non legatur, ejuſque Auctor veniam in fine petierit, quia nempe probe ſciebat ſe non ſemel erraſſe.

Sed licet in Hebræorum canonem duo Machabæorum libri relati non fuerint, eos tamen Concilium Carthaginenſe III. & Tridentinum, necnon Innocentius I. & Gelaſius in Synodo 70. Epiſcoporum, Cyprianus etiam, & Clemens Alex., Ambroſius, Chryſoſtomus, Proſper, Iſidorus, aliique plurimi Patres, ac univerſalis demum Eccleſia, uti Canonicos receperunt. Hac autem in re ſi Eccleſiæ judicium contemnatur, jam neque quatuor Evangelia, neque libri alii ſatis roboris, & auctoritatis habebunt ad fidem Chriſtianis dogmatibus afferendam. *Neque enim Evangelio crederem*, inquit S. Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti c. 5. *niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. Et in lib. de cura pro mortuis c. 1. idem S. Doctor ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi*

 nuſ-

nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.

Verum de auctoritate quam Machabæorum libri ſibi vindicant, alibi ex propoſito diſſeremus; interim autem adnotamus, quod Auctor horum librorum, qui cum veneratione tot ſeculis in Eccleſia lecti ſunt, hiſtoricam ſaltem mereatur fidem, quam ethnicis etiam Scriptoribus adhibere ſolemus; ut nempe credamus, rem, uti geſta eſt, ab eo fideliter fuiſſe conſcriptam, præſertim quod ea retulerit, quæ non ita dudum ante contigerant. Hoc autem admiſſo conſequitur verum eſſe, quod Judas non tantum populi ſui Dux, ſed etiam Pontifex, ex collatitia pecunia duodecim millia drachmas argenti Jeroſolymam miſerit, ut pro peccatis mortuorum ſacrificium offerretur; proindeque ſimul apparet, non modo Sacerdotes, populumque fidelem eo tempore credidiſſe, quod quorundam defunctorum animæ viventium pietate liberari poſſint a pœnis, verum & publico ſacrificiorum ritu eandem fidem fuiſſe firmatam.

Neque obſtat, quod de hujuſcemodi ſacrificiis nihil præſcriptum in Moſaica lege videatur. Comprehenduntur enim ſub iis quæ pro peccatis jubebantur offerri, non præſentium tantum, verum etiam abſentium, velut in die expiationis pro peccatis totius populi; a quo ſane populo non peribant, qui etſi aliquibus peccatis obnoxii, cum pietate tamen dormitionem acceperant; & ideo neque debebant il-

illi a generalibus ſacrificiis, quæ pro univerſo populo expiando offerebantur, excludi: idque fideles ipſos, qui in illo populo ſpirituales erant, aliquouſque & ſaltem implicite intellexiſſe, non eſt ullatenus dubitandum. Legimus enim ſanctos Patriarchas & Prophetas alia etiam ejuſdem generis opera, utputa luctum, jejunium, & eleemoſynam, pro mortuis impendiſſe. De luctu lege Gen. 37. & alibi: de jejunio 1. Regum c. ultimo, & 2. Regum c. 1. Luctum vero, jejuniumque ſancti illi Viri ſibi pro mortuis indicebant, non more Gentilium qui ſpem non habent, aut eorum qui humano dumtaxat affectu lugent, & præ mœrore vel vero vel ſimulato cibum ſumere nolunt; ſed religioſa quadam obſervatione, ut tum per orationes, tum per jejunii afflictionem defunctis requiem impetrarent; quem in finem, interpretante Beda, viri Jabes Galaad ſuper morte Saulis ſeptem diebus jejunium obſervarunt 1. Regum ult.

Eleemoſynis etiam juvari mortuos non obſcure colligitur ex Tobiæ c. 4. v. 18. ubi Tobias ſenior hoc inter alia pietatis officia filio mandat: *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue;* non quidem Gentilium more putantium, quod defunctorum animæ ad cibos accurrerent, eorumque ſapore, aut odore recrearentur; ſed ut viventes, præcipue pauperes, qui cibis ſuper ſepulcra poſitis veſcebantur, ad orandum pro mortuis ibi conditis excitarentur.

Licet autem hæc quæ diximus, directe tantum eo pertineant, ut probetur, apud fideles qui Chriſtum anteceſſerunt, ſemper aliquo in

uſu fuiſſe ſuffragia pro defunctis, conſequenter tamen Purgatorii fidem oſtendunt; fruſtra enim illa, imo & ſuperſtitioſe fierent, ſi defuncti in aliquo miſeriæ ſtatu non eſſent, in quo poſſent per viventium ſuffragia liberari. Hinc certiſſimam connexionem iſtam agnoſcentes hæretici, utrumque pari ſtudio oppugnarunt.

Poſtremo hujuſce libri Auctor modeſtiæ cauſa ſibi petit ignoſci, non quia erraverat, ſed quia ſtylum uſurpaverat minus forte politum, quam vel hiſtoriæ gravitas, vel lectoris deſiderium, vel Divini verbi majeſtas depoſcere videbantur. In ſtylo enim, modoque ſcribendi, Scriptores ſacros ſibi ac naturali eorum ſcientiæ Spiritus Sanctus perſæpe reliquit. Hinc ſimili fere modo Paulus 2. Cor. 11. v. *6.* ſe *imperitum ſermone* vocavit.

Reſpondent 2. quod Judas ſacrificium offerri juſſerit pro defunctis, non quia eos in Purgatorio eſſe cenſuerit, ſed quia pium affectum, doloremque de illorum morte manifeſtare voluerit, ac vivis ſolamen quoddam afferre. Qui enim interfecti fuerant, cum mortali peccato ex hac vita deceſſerant. Nam eodem in c. v. 40. legitur: *Invenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex probibet Judæos: omnibus ergo manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſam eos corruiſſe.*

At ex contextu apertiſſime patet, juſſiſſe Judam ſacrificium offerri *pro peccatis mortuorum* v. 43. & ut Sacerdotes *orarent pro mortuis* v. 44. *& quia conſiderabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent* re-

repoſitam gratiam. Quare dicendum eſt, quod etſi divina lex Deut. 7. & Exodi 34. præceperit, quod Judæi etiam bello capta idola, omnemque idololatricam ſuppellectilem comburerent, ac domeſticos in uſus nullatenus adhiberent; putavit tamen Judas, quod defunctorum peccatum, ſaltem in pleriſque, fuiſſet ſolummodo veniale, ratione vel finis, vel exiguæ quantitatis; aut quod, ſi fuiſſet mortale, pœnitentiam ante mortis articulum concepiſſent: atque ita cum pietate dormitionem accipientes, poterant a peccato ſolvi, ſive a pœna peccato debita liberari.

Sed jam ex N. T. clariora teſtimonia proferamus, quibus Purgatorii exiſtentia demonſtretur. Et primo Chriſtus Matth. 12. v. 32. de eo, qui verbum dixerit contra Spiritum Sanctum, affirmat, quod *non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*. Chriſtus ergo deſignat, aliqua eſſe peccata quæ poſſint in ſeculo futuro remitti, proindeque locum eſſe poſt mortem, in quo anima ab hac noxa purgetur, antequam admittatur in Cœlum, quo nihil poteſt coinquinatum intrare.

Negant illationem iſtam hæretici, ajuntque quod Chriſtus eo in loco per auxeſim quandam, ſive per exaggerationem, denotare voluerit, peccatum in Spiritum Sanctum nunquam omnino remitti; ita enim Marcus expoſuit c. 3. v. 29. *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*.

At ita Chriſtus delicti magnitudinem citatis apud Matthæum verbis amplificat, ut tamen uſus inepto ſermone non fuerit: atqui inepto uſus

uſus ſermone fuiſſet, ſi talem adhibuiſſet partitionem, cujus alterum membrum mere fictitium eſſet; veluti ſi quis aſſereret, Phœnicem avem neque in terra exiſtere, neque in Cœlo; cum in Cœlo proprie dicto nullæ ſint aves. Ergo dicendum eſt potius, quod ſicuti ex illa Chriſti diſtributione recte colligitur ſeculum aliquod eſſe futurum; ita recte etiam colligatur fieri quorundam peccatorum in illo ſeculo remiſſionem; ſicuti quoque ex priori membro rectiſſime ſubinfertur, quod quædam peccata in hoc ſeculo remittantur.

Hanc argumenti vim expendens Gregorius M. in lib. 4. dialogorum c. 39. ſcribit: *De quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo quod Veritas dicit, quia ſi quis in Sancto Spiritu blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam vero in futuro poſſe laxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam affirmari conceditur.* Et S. Auguſtinus in lib. 21. de C. D. c. 24. ait: *Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc ſeculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus, etſi non in iſto, tamen remittetur in futuro.* Ita quoque loquuntur Fulgentius in lib. 1. de remiſſ. pecc. c. 24. Beda in c. 3. Marci, Bernardus ſerm. 66. in Cantica, aliique.

Præterea Paulus in 1. ad Cor. 3. v. 12. Chriſtum dicit eſſe fundamentum, & addit: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum,*

num, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Cujus quidem teſtimonii ſenſus juxta communiorem SS. Patrum expoſitionem iſte eſt: In futuro ſeculo, quum Dominus judicabit, examinanda erunt eorum opera, qui ſuper Chriſtum in hac vita ſpiritale ædificium erexerunt. Hæc autem opera, ſi undequaque bona inventa fuerint, quæ per aurum, argentum, ac pretioſos lapides denotantur, ſuſtinebunt Dei judicium, & ſine ignis læſione manebunt, & qui ea fecerint, mercedem pro iiſdem accipient. Sin vero inventa fuerint mala (ſalvo interim fundamento); ideſt venialia fuerint, & minuta, quæ fundamentum non evertunt, quæ quidem opera per ligna, fœnum, ſtipulam indicantur, detrimentum illorum operum patietur, qui ea patraverit; ipſe autem ſalvus erit tanquam per ignem quendam purgationis ac punitionis divinæ; qua videlicet expurgatis ſordibus, & reliquiis peccatorum, ipſe tandem perfecte mundus & Regno Dei inveniatur idoneus. Legendi hac ſuper re ſunt Baſilius in Iſaiæ 4. & 9. Hieronymus in Matth. 3. Ambroſius ſerm. 3. & 20. in Pſal. 118. Gregorius lib. 4. dialog. c. 39. aliique complures.

Sed juvat Auguſtinum audire in Pſal. 37. ita ſcribentem: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus ſit, propter illos, qui ſalvi erunt, ſic tamen quaſi*

quaſi per ignem. Quare? niſi quia hic ædificant ſupra fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam. Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos, & de utroque igne ſecuri eſſent, non ſolum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios, ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalvi erunt.

Poſtremo illud ex Scripturis adducimus, quod ait Chriſtus Matth. 5. v. 25. & 26.: *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Quem textum de Purgatorio S. Cyprianus intelligit in epiſt. 52. ad Antonianum, aitque: *Aliud eſt, miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei, & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.* Eodem in ſenſu textum iſtum interpretantur Ambroſius in c. 12. Lucæ, & Bernardus in ſerm. de obitu Humberti Monachi, aliique.

Brevitatis gratia prætérimus nonnulla alia Scripturarum oracula, quibus Purgatorii exiſtentia demonſtratur. Ex dictis autem evidenter oſtenditur, quam merito Leo X. hanc Lutheri aſſertionem proſcripſerit: *Purgatorium non poſſe probari ex Scriptura Sacra, quæ ſit in Canone.*

Ut vero catholicum dogma iſtud etiam ex traditione probetur, ſatis profecto eſt notare, quod ex perpetuo univerſalis Eccleſiæ ritu pro fidelibus defunctis preces fiant, & ſacrificium of-

offeratur ; ut patet ex Tertulliano in lib. de corona militis c. 3. ex Cypriano in epiſt. 66. ex Ambroſio in epiſt. 6. ad Fauſtinum , ex Cyrillo Hieroſol. in Catech. myſtag. 5. ex Chryſoſtomo hom. 41. in 1. ad Cor. ex Auctore lib. de Eccl. Hierarchia c. ultimo &c. Cum enim neque pro Beatis , neque pro in æternum damnatis fieri poſſit oratio , ſatis apparet , tertium aliquod eſſe genus eorum , qui nondum Beati vivorum precibus egeant , ut poſſint ad beatitudinem pervenire ; adeoque locum eſſe colligitur, ubi ad purgationem animæ detinentur.

Hanc veritatem S. Auguſtinus paſſim aſſeruit, ac præſertim in ſerm. 32. nunc 172. de verbis Apoſtoli c. 2. ubi ait : „ Orationibus „ vero ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, „ & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus „ erogantur , non eſt dubitandum , mortuos „ adjuvari , ut cum eis miſericordius agatur „ a Domino, quam eorum peccata meruerunt. „ Hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis „ & ſanguinis Chriſti communione defuncti „ ſunt , cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo „ commemorantur, oretur , ac pro illis quoque id offerri commemoretur . Cum vero „ eorum commendandorum cauſa opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur ? Non omnino ambigendum „ eſt, iſta prodeſſe defunctis; ſed talibus, qui „ ita vixerunt ante mortem, ut poſſint eis „ hæc utilia eſſe poſt mortem . Nam qui ſine „ fide, quæ per dilectionem operatur, ejuſque

„ ſa-

„ ſacramentis, de corporibus exierunt, fruſtra
„ illis a ſuis hujuſmodi pietatis impenduntur
„ officia, cujus, dum hic eſſent, pignore ca-
„ ruerunt, vel non ſuſcipientes, vel in vacuum
„ ſuſcipientes Dei gratiam, & ſibi non miſe-
„ ricordiam theſaurizantes, ſed iram.

Eandem denique doctrinam non interrupta traditione firmatam Eccleſia Græca etiam poſt ſchiſma retinuit, uti conſtat ex CP. Synodo ſub Parthemio anno 1642. ubi iſtud inter Calviniana dogmata recenſetur: *Poſtremum vero omnium, ut prætextum videlicet quærat*, Calvinus, *rejiciendi ignis purgatorii, id agit, ut repudiet ſolemnes nobis, ac legitimas pro defunctis commemorationes, per quas ſperamus requiem iis, & reſpirationem ab acerbitatibus, quæ illos premunt, a Deo eſſe concedendam.*

Hunc quoque errorem Synodus Hieroſolymitana ſub Doſitheo proſcripſit anno 1672. quæ inter alia c. 18. loquens de illis, quos ante mortem peccatorum pœnituit, nullum tamen ipſi pœnitentiæ fructum fecerunt, hæc habet: *Id genus animas ad inferos deduci, ibique juſtas pro iis, quæ commiſerunt, peccatis pœnas ſuſtinere: at ſuæ tamen futuræ liberationis eſſe conſcias, & ab ſumma bonitate per Sacerdotum orationes, ſuorumque parentum eleemoſynas liberari.*

Neque tandem theologica deeſt ratio, qua Purgatorium exiſtere comprobetur. Sæpe namque contingit, quod homo, cui lethalis culpa, & æternæ pœnæ reatus in juſtificatione remittitur, obnoxius alicui pœnæ temporali remaneat, non tantum ad cautelam & emendationem in poſterum, uti aliquando Calvinus aſſeruit,

ruit, verum & ad punitionem ac præteriti peccati vindictam, ut nempe aliquo modo divinæ juſtitiæ ſatisfiat. Si quis igitur antequam temporalem pœnam illam exſolvat, ex hac vita deceſſerit, eandem poſt hanc vitam debebit exſolvere, ne peccatum ſine debita pœna inordinatum in ſeculo futuro ſuperſit: Atqui exſolvere nequit in Cœlo, ubi nulla eſt pœna; neque in inferno, ubi non temporalis, ſed æterna pœna diſcruciat; Reſtat ergo, ut in Purgatorio ad tempus exſolvat.

Prima vero hujuſce argumenti propoſitio patet tum ex aliis Scripturæ textibus, tum ex eo quod legitur in 2. Regum c. 12. v. 13. & 14. *Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quod exponens Auguſtinus in Pſal. 50. ait: *Aliquando Deus, cui ignoſcit in futuro ſeculo, corripit eum de peccato in iſto ſeculo. Nam & ipſi David, cum jam dictum fuerat per Prophetam, dimiſſum eſt peccatum tuum, evenerunt quædam, quæ minatus erat Deus propter ipſum peccatum.*

Hinc doctrinam de pœna peccati remanente poſt culpam remiſſam, tanquam catholicam, Tridentina Synodus definivit in ſeſſ. 14. c. 8. ubi hanc quoque rationem adducit, quare non ſemper univerſa pœna ſimul cum culpa a Deo remittitur: *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui ſemel a peccato, & dæmonis ſervitu-*

tu-

tute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Quæ quidem doctrina ex S. Paulo deſumpta eſt in epiſt. ad Hebr. c. 10. Sed de hoc argumento ex profeſſo alibi differemus.

Huc demum accedit, quod Juſti venialia ſæpe peccata committunt, quæ gratiam & amicitiam cum Deo non tollunt, neque damnationem merentur æternam, uti conſtat ex dictis in lib. 13. c. 2. Si ergo contigerit, Juſtos eiſdem peccatis inquinatos occumbere, oportebit, ut temporales pendant pœnas in futuro ſeculo, priuſque purgentur, quam admittantur in Cœlum, in quo nihil vel leviſſima culpa inquinatum intrabit. Quæ quidem omnia ſatis perſpicue, certoque Purgatorium extare convincunt. Ut vero ſubtiliora hæreticorum ſophiſmata diſſipentur, eſto

CAPUT II.

Diluit argumenta, quæ contra Purgatorii exiſtentiam opponuntur.

NOn pauca nobis ad evellendam Purgatorii fidem Lutherani, & Calviniſtæ ex Scripturis præſertim objectant: brevitatis autem gratia hoc in capite difficiliora ſolummodo diſſolvemus. Ajunt itaque 1. quod Eccleſiaſtæ c. 11. v. 3. ſcriptum ſit: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit;* id eſt, perpetuo permanebit. Cum ergo poſt mortem finaliter nemo permaneat, niſi vel in Cœlo, vel in inferno, aperte conſequitur, quod homo moriens non niſi in alterutrum horum cadat, & quod ſi in ſtatu gratiæ moriatur, ſtatim aſſumatur in Cœlum.

Id confirmatur ex Sap. c. 3. ubi v. 1. legitur: *Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Et v. 3. *Illi autem ſunt in pace*. Eodem denique in libro c. 4. v. 7. dicitur: *Juſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Ergo Purgatorii ignem ac tormenta non perferunt, qui in juſtitiæ ſtatu ex hac vita diſcedunt: quod etiam ex Pſalmo 126. v. 3. conſtat: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*.

Reſp. quod ex Eccleſiaſtæ teſtimonio tan-

tum ſequitur, quod qui cadunt ad Auſtrum, ad ſtatum nempe ſalutis, in eo permaneant in æternum; & ſimiliter qui ad Aquilonem cadunt, ad ſtatum ſcilicet damnationis, eodem in ſtatu in perpetuum ſunt manſuri: nemo enim ex prædeſtinato reprobus, vel ex reprobo prædeſtinatus evadit; aut, quod idem eſt, nemo de bono in malum, vel de malo in bonum in altera vita mutatur. Sub Auſtro igitur Purgatorii etiam locus includitur, ſicut includebatur olim ſanctorum Patrum limbus; nam quicunque ibi manent, ſunt in ſtatu gratiæ, æternæque ſalutis.

Neque obſtant, quæ in Sapientiæ libro leguntur. Nam & ſancti Patres defuncti antequam Chriſtus in carne veniſſet, in manu Dei, in pace, in refrigerio erant; & tamen nondum cœleſti beatitudine fruebantur. Juſtorum ergo animæ quæ purgantur, ſunt in manu Dei, quia in tutiſſima Dei cuſtodia manent, a qua nemo poteſt illas eripere. Sunt item in pace, quia poſt exactam hujus vitæ militiam ſunt de Regno ſecuræ; unde & in Canone Miſſæ in ſomno pacis dormire dicuntur. Ob quam etiam rationem in refrigerio ſunt, ſive, uti Græce legitur, *in quiete*; tum quod hujuſce vitæ moleſtiis, tentationibus, periculiſque ſubtractæ, viventium ſuffragiis plurimum relevantur. Quamvis in dicto Canone adhuc eis locum refrigerii, paciſque petamus; ut nempe ardore pœnarum, quibus detinentur, extincto, perfectam cum Deo pacem obtineant, ſicque ad gloriam, & beatitudinem transferantur.

Citato tandem in Pſalmo per ſomnum non intelligitur mors privati cujuſque hominis, ſed to-

tota illa corporum quies, quæ ab initio Mundi ad communem reſurrectionem uſque perdurat. Eſt itaque ſenſus: Cum dilecti, ſive fideles quietem illam expleverint, in qua nunc eorum corpora quaſi ſomno oppreſſa tenentur, tunc Chriſti Domini hæreditas apparebit; omnes ſcilicet Electi reſurgent in corporibus glorioſis, qui ſunt illius hæreditas, quam proprio ſanguine acquiſivit. Lege S. Auguſtinum enarrat. in eundem Pſalmum.

Objiciunt 2. Scripturæ duo tantum admittunt animarum loca poſt mortem, duoſque ſolum hominum ordines, alterum eorum qui ad inferni pœnas perpetuo damnantur, illorum vero alterum, qui recta tranſmittuntur in Cœlum. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam:* inquit Chriſtus Matth. 25. v. 46. Non ergo tertius Purgatorii admittendus eſt locus: quod ex aliis ejuſdem Chriſti verbis Joan. 5. v. 24. deducitur: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam.*

Reſp. quod quando in univerſali judicio extrema Chriſti ſententia proferetur, de qua agitur in citato Matth. capite, duo tantum loca erunt, in quibus perpetuo Electi, reprobique manebunt, omneſque tunc ſtatim ad eadem loca mittentur. Interim tamen Electi, ſi non adhuc perfecte purgati ex hac vita deceſſerint, poſt mortem purgantur ad tempus. Unde Auguſtinus in lib. 21. de C.D. c. 13. ait: *Temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii poſt mortem, alii nunc, & tunc, verumtamen ante judicium illud ſeveriſſimum, noviſſimumque patiuntur.*

Alterius autem teſtimonii ſenſus iſte eſt: Qui credit me Dei Filium eſſe, meiſque mandatis obtemperat, habet, ideſt certo habebit, vitam æternam; & in judicium damnationis non veniet; ſed a morte infidelitatis tranſit ad vitam fidei, quia Juſtus ex fide vivit; indeque ad vitam & gloriam tranſibit æternam. Vide S. Auguſtinum tract. 22. in Joan. Ex quo ſane nihil poteſt contra Purgatorii fidem inferri. Nam animæ purgandæ non ad damnationis judicium veniunt, ſed ad judicium diſcretionis; quia nempe purgandæ ſunt, non vero damnandæ.

Objiciunt 3. Joannes in Apoc. c. 14. v. 13. audivit vocem de Cœlo dicentem ſibi: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis*. Quotquot igitur in Domino moriuntur, protinus ſunt beati, ſtatimque a laboribus requieſcunt: quod verum profecto non eſſet, ſi quibuſdam eorum ſubeundi adhuc eſſent acerbiſſimi in Purgatorio cruciatus. Idque confirmari videtur ex eo, quod ſubditur: *Opera enim illorum ſequuntur illos*; ideſt ſtatim, ac ſine dilatione mercedem accipiunt; quod ſi ita eſt, jam non relinquitur Purgatorio locus.

Reſp. quod Juſti omnes ſtatim ab ipſa morte beati dicuntur non tantum in ſpe, quod in hac etiam vita erant; ſed vel reipſa, ut qui purgatione non egent; vel ob certitudinem, ſecuritatemque adipiſcendæ beatitudinis, ut qui in Purgatorio detinentur. Si enim ſpes Juſtorum in hac vita eos beatos efficit; unde ait Apoſtolus ad Rom. 8. v. 24. *Spe ſalvi facti ſumus*; & Chriſtus Matth. 5. v. 3. *Beati paupe-*

res

res ſpiritu &c. multo rectius poſt mortem beati dici poterunt propter ipſam præmii ſecuritatem, etiamſi ad tempus verſentur in pœnis. Requieſcunt autem illi a laboribus ſuis, quibus in hac vita ſudarunt, contra diabolum, mundum, & carnem periculoſa militia decertantes: qui ſunt labores Sanctis proprii, de quibus differit Auguſtinus in lib. 22. de C. D. c. 23. Et tamen illis adhuc Eccleſia requiem adprecatur, donec ejus plenitudinem omni malo ſublato fuerint aſſecuti. Nam licet requieſcant jam a laboribus, nondum tamen requieſcunt a pœnis. Quod vero ſubjungitur: *Opera enim illorum ſequuntur illos*, quoad retributionem intelligitur; oſtenditque, quod ſi nævo aliquo inquinatæ reperiantur animæ, in futuro ſeculo debeant ab illo purgari. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 1.

Objiciunt 4. S. Auguſtinus alicubi de Purgatorio dubitare videtur. In cap. enim 68. Enchiridii tractans Apoſtoli locum in 1. ad Cor. c. 3. quem in probationibus ſupra retulimus, ubi illum expoſuit de tribulationibus hujus ſeculi, quibus fideles quodam velut igne purgantur, poſtea cap. 69. ſubjungit: *Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri, incredibile non eſt, & utrum ita ſit, quæri poteſt; & aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minuſve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiuſve ſalvari.* Et in lib. 21. de C. D. c. 26. cum eundem Apoſtoli textum ſimiliter fuiſſet interpretatus, tandem adjunxit: *Si hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non ha-*

habuerunt tales mores, & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & ſtipula conſumentur: alii vero ſentiant, ... non redarguo, quia forſitan verum eſt. Similia leges etiam in lib. de fide & operibus c. 16.

Alibi inſuper S. Doctor Purgatorium non obſcure negavit. Ita in epiſt. 80. nunc 199. ad Heſychium c. 1. ſcribit: *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur*. Et tract. 49. in Joan. *Requiem quæ continuo poſt mortem datur, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque cum moritur*. Tum ſerm. 14. de verbis Apoſt. nunc ſerm. 294. c. 3. *Qui inducis medium, recede de medio*. Item ſerm. 29. de verbis Apoſt. nunc ſerm. 181. c. 6. *Non hic ſumus ſine peccato, ſed exibimus hinc ſine peccato*. Tandem in lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. c. 33. aſſerit, quod poſt hanc vitam peccata hic remiſſa non obſint.

Reſp. Auguſtinum nunquam de Purgatorii exiſtentia dubitaſſe, cum, uti ex dictis in præcedente cap. patet, pluribus in locis aperte ac pro certo id doceat, & conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ quæ pro defunctis orat, in dubium revocari non ſinat. Dubitat itaque ſolum, an ſicut in hoc ſeculo multi tribulationis igne purgentur a ſecularium rerum amore, & vitiolis affectibus; dum videlicet ipſa tribulatio eos dolore quodam amiſſorum hujus vitæ commodorum adurit; ita & in ſeculo futuro contingat; id eſt, an quibuſdam in Chriſto defunctis adhuc adhæreant vitioſi affectus, & quidam ſecularium rerum amor, a quibus debeant ignis af-

afflictione & uſtione purgari. Neque mirum eſt, quod de ea re dubitaverit Auguſtinus, cum etiam noſtris hiſce temporibus non adhuc ſit apud Scholaſticos definitum, num ejuſmodi inordinationes voluntatis in bonis fidelibus etiam poſt mortem purgandæ, & extinguendæ remaneant: quod ut plenius intelligatur, legendi ſunt Eſtius in 4. d. 21. §. 3. & 4. & S. Bonaventura in eadem diſt. p. 1. a. 2. q. 1.

Ad alia Auguſtini loca reponimus, in 1. teſtimonio S. Doctorem dumtaxat aſſerere, quod unuſquiſque taliter ſit in die noviſſimo judicandus quoad vitam, vel mortem æternam, & quoad gradum etiam æternæ pœnæ, vel gloriæ, qualis ex hac vita diſcedit. Hæc enim poſt mortem nullo poſſunt tempore permutari, quum demeritum omne meritumque ceſſabit.

Ad alterum dicimus, quod ſicut illa conditio, *ſi ea dignus eſt*, oſtendit, quod ille ſolus requiem accipiat, qui dignus eſt requie; ita demonſtrat pariter, quod ſolus ille ſtatim accipiat, qui ſtatim eandem accipere dignus invenitur. Et quidem cum in eo Tractatu S. Auguſtinus comparationem inſtituat diverſarum cuſtodiarum, in quibus rei ad Judicem perducendi ſervantur, ſatis prefecto declarat, præter duo receptacula vitæ, & mortis æternæ, aliud eſſe temporarium, quo aliqui humano, & miti officio, ut ipſe loquitur, tractandi recipiantur.

In tertio autem loco S. Doctor contra Pelagium agit, qui pro parvulis ſine Baptiſmo decedentibus locum ponebat medium, ubi etſi extra regnum cœlorum manerent, vitam tamen haberent æternam.

In quarto vult Auguſtinus, quod nemo hic ſine peccato vivere poſſit; etſi quidam hinc ſine peccato poſſint exire, ſi peracta ſufficienti ſatisfactione deceſſerint. Vel de peccati actu intelligendus eſt textus: neque enim animæ in Purgatorio peccant.

In quinto denique loco negat quidem, peccata hic omnino ac plene remiſſa poſt hanc vitam obeſſe, quia nempe non damnant; at ſi remiſſa plene non fuerint, ingreſſum ad æternam gloriam retardabunt.

Proferre etiam hæretici ſolent nonnulla aliorum Patrum teſtimonia, quæ demonſtrare videntur, quod poſt hanc vitam tempus ſatisfactionis, pœnitentiæ, emendationis, ac remiſſionis ſupereſſe non poſſit. At ſententiæ illæ exponendæ ſunt de pœnitentia & emendatione, qua quis ad Deum convertitur, & ex malo fit bonus; quæ ſane in futuro ſeculo non continget, quia lignum ubicunque ceciderit, ibi erit; ita quoque intelligendæ ſunt de ſatisfactione ac remiſſione, qua reatus pœnæ æternæ deletur; niſi enim reatus ille a peccatore in hoc ſeculo auferatur, oportet, ut æternum permaneat in futuro.

Objiciunt 5. Nullus poſt hanc vitam locus extat, ubi bona Malorum opera præmiantur: ergo nullus etiam eſt locus, ubi mala Bonorum opera puniantur.

Reſp. quod bona opera malorum, proprie loquendo, nihil præmii in alia vita merentur; nam etſi Deus interdum ea in hac vita remuneret, non tamen ſtata, & perpetua lege mercedem pro illis addixit. Mala autem opera Juſtorum vere & proprie merentur pœnam; *&*

quia

quia, inquit S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 1. *gloria non poteſt ſimul ſtare cum pœna ſecundum forum commune, neceſſe eſt prius debitum illud ſolvi per pœnam purgatoriam.*

Angelicus etiam Doctor in 4. d. 21. q. 1. a. 1. q. 1. ad 3. ait, quod *ille qui in peccatum mortale incidit, omnia bona acta mortificat, & quæ in peccato mortali exiſtens facit, mortua ſunt, quia ipſe Deum offendens omnia bona meretur amittere, quæ a Deo habet. Unde ei, qui in peccato mortali decedit, non manet aliquod præmium poſt hanc vitam; ſicut manet aliquando pœna ei, qui in charitate decedit, quæ non ſemper delet omne malum quando invenit, ſed ſolum hoc, quod eſt ſibi contrarium.*

Objiciunt 6. In die extremi judicii ſtatim omnes vel in Regnum recipientur, vel mittentur in ignem, non obſtante quod qui vivi tunc invenientur, non plene in hac vita ſatisfecerint pro peccatis: ergo neque nunc Purgatorium ob hanc cauſam admittere neceſſe eſt.

Reſp. quod qui eo tempore purgatione indiguerint, ante extremam Judicis ſententiam purgabuntur, vel in ſola anima per Purgatorii ignem, vel in corpore ſimul & anima per ignem ultimæ conflagrationis; ita tamen ut pœnæ gravitate compenſandum erit, quod temporis diuturnitati defecerit, aut fortaſſis Sanctorum interceſſione miſericorditer remittetur.

Objiciunt 7. Ezechielis 18. v. 21. dicit Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis . . . . vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et c. 33. v. 12. *Impietas impii non no-*

nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. Atqui recordaretur Deus peccatorum, ſi ea puniret, hominique peccata nocerent, ſi poſt pœnitentiam, & remiſſionem vel in hoc vel in futuro ſeculo ſubeunda pro illis pœna maneret. Perperam igitur inter probandum pro certo id fuit aſſertum.

Reſp. quod poſt pœnitentiam Deus non recordatur iniquitatum, neque homini nocet impietas, quia Deus illas æterna pœna non punit; id enim ea verba declarant: *Vita vivet, & non morietur*; morte nimirum æterna. At ſi de temporali pœna loquamur, quamvis aliquando illa etiam una cum culpa, & pœna æterna dimittatur, non ſemper tamen ita contingit, cum non ſemper ex ferventiſſimo charitatis ardore quis doleat de peccato. Unde Davidi dum ait, *Peccavi Domino*, ſtatim dictum eſt, *Dominus tranſtulit peccatum tuum: non morieris*; & tamen poſt hoc temporales ei pœnæ fuerunt inflictæ.

Hoc eodem in ſenſu peccata dimiſſa dicuntur Pſalmo 31. a Deo tegi & non imputari; diciturque Rom. 8. nihil damnationis eſſe iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu: quia videlicet ille ad pœnam & damnationem æternam peccata ſemel remiſſa non imputat; & quia inter temporalem, æternamque pœnam tanta diſtantia eſt, ut temporalis reſpectu æternæ ferme ſit nihil: idcirco etſi poſt culpæ remiſſionem temporalis interdum pœna ſuccedat; abſolute tamen dicitur, peccata dimiſſa non nocere, non imputari, Deumque illorum non amplius reminiſci.

Notamus hic inſuper, quod quamvis peccatorum re-

remiſſionem per Chriſti ſanguinem conſequamur, & iſte abunde ſit efficax ad pœnam temporalem etiam abolendam; voluit tamen Deus hominem licet juſtificatum ſub pœna relinquere, neque in amicitiam pari conditione recipere illum, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquit, ac illum, qui accepto Spiritus Sancti dono templum Dei ſcienter violare non timuit.

Quod ſi dixeris, plus nobis Chriſti obedientiam profuiſſe, quam obfuit inobedientia Adæ: atqui iſte culpam ſimul & pœnam invexit: ergo & Chriſtus utramque delevit:

Reponemus, quod ex argumento colligi quoque poſſet, mortem omneſque hujuſce vitæ miſerias, per Adæ peccatum invectas, ſtatim debuiſſe per Chriſtum auferri. Chriſtus itaque Electos ſuos ab omni malo liberat, quod prævaricator Adam induxit; at id illico non præſtat: cujus rei cauſam docuit Auguſtinus tract. ult. in Joan. ubi ait: *Hanc itaque vitam, de qua ſcriptum eſt*, Jobi 7. Numquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram, *in qua quotidie clamamus ad Dominum*, Matth.6. Libera nos a malo, *cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis ut in eam veniret miſeriam, fuerit cauſa peccatum: productior eſt enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.*

Objiciunt 8. In Purgatorio veniale peccatum re-

remitti non poteſt quoad culpam, quia poſt hanc vitam non amplius merendi tempus exiſtit: neque etiam quoad pœnam, quia non remiſſa culpa neque pœna remittitur. Ergo perperam in ultima probatione veniale peccatum poſt mortem aliquando ſupereſſe diximus in Purgatorio expiandum.

Reſp. cum S. Thoma in q. 7. de malo a. 11. „ quod venialia remittuntur poſt hanc vitam „ etiam quantum ad culpam, eo modo, quo „ remittuntur in hac vita, ſcilicet per actum „ charitatis in Deum, repugnantem venialibus „ in hac vita commiſſis. Quia tamen poſt „ hanc vitam non eſt ſtatus merendi, ille di„ lectionis motus in eis tollit quidem impedi„ mentum venialis culpæ, non tamen meretur „ abſolutionem vel diminutionem pœnæ, ſicut „ in hac vita.

Objicies 9. Doctores in aſſignando Purgatorii loco inter ſe plurimum altercantur. Alii enim illud in aere collocant, alii vero ſub terra reponunt, alii denique diverſa loca diverſis animabus pro purgatione conſtituunt. Ergo & ipſum Purgatorium dubia res eſſe videtur.

Reſp. futiliſſimum eſſe argumentum. Non enim ſi rei locus ignoretur, idcirco rem quoque, utrum exiſtat, ignorari neceſſe eſt. Nam Paradiſum fuiſſe, certum ex Scriptura tenemus, qui tamen ubi ſit, aut fuerit, nondum eſt plane compertum. Sic & extremum judicium eſt abſque dubio futurum, licet ejus nec tempus omnino, nec locum certo ſciamus. Denique nec de inferno tam certi ſumus ubi ſit, quam quod ſit, uti ex Auguſtino patet in lib. 2. Retract. c. 24. Interim vero ut communis, ita pro-

probabilis admodum eſt Doctorum ſententia, cui non eſt temere reſiſtendum, Purgatorii locum eſſe in terræ viſceribus, procul tamen ab ipſis gehennæ portis, non tam loci diſtantia, de qua divinare nil poſſumus, quam immutabili Dei decreto ſejunctum. Nam & de Patrum limbo, qui proculdubio felicior fuit locus, idem ſecundum Scripturas ſentiendum minime dubitatur. Ita de Purgatorii loco poſt Gregorium lib. 4. Dialog. c. 42. Scholaſtici omnes affirmant. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 6. ubi concedit, quod *ſecundum diſpenſationem ſpecialem* poſſint animæ quædam in diverſis etiam hujuſce terræ locis ſua peccata purgare.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Qualis ac quanta ſit Purgatorii pœna, & quamdiu duret.

DUplex eſt in Purgatorio pœna: altera quidem damni, quatenus animæ ibi detentæ ad tempus intuitiva Dei viſione privantur: altera vero ſenſus, inquantum ab igne torquentur.

Olim nonnulli in dubium revocarunt, num verus ac corporeus eſſet Purgatorii ignis: ſed jam nunc ita eſſe communiſſima Theologorum ſententia tradit. Et quidem recte: nam Purgatorii pœna ignis nomine in Scripturis exprimitur, ſcribente Paulo in 1. ad Cor. 3. v. 13. *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*. Et v. 15. *Si cujus opus arſerit detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Etſi vero vocabulum ignis gravem afflictionem ſæpe ſignificet, ut in Pſal. 65. v. 11. *Tranſivimus per ignem, & aquam*; non tamen ad tropum debemus abſque neceſſitate recurrere. Quare ſicut ex eo quod Matth. 25. v. 45. legitur: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*; & ex aliis ejuſcemodi textibus, bene concluditur, in inferno verum ac proprium eſſe ignem, quo dæmones, reprobique omnes in perpetuum torqueantur, ut in c. 7. lib. 21. notavimus: ita ſimiliter ex eo quod Apoſtolus ignem ap-

pel-

pellat id, quo purgantes animæ puniuntur, recte deducitur, verum ac corporeum eſſe Purgatorii ignem.

Hanc Sanctorum Patrum eſſe ſententiam liquet ex dictis in cap. 1. ubi laudatum Pauli textum adduximus, Scribit etiam hac de re S. Bernardus in ſerm. 28. de diverſis: *Quidquid nunc parvipendendo tranſimus, palpando tegimus, diſſimulando negligimus, quanto illuc cruciatu vindex flamma conſumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum: forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluiſſet.*

Demum advertimus, in Florentino Concilio controverſiam de Purgatorii igne Latinos inter Græcoſque fuiſſe. Nam Latini profitebantur, purgationem illam fieri per ignem, quem purgatorium vocant, ad quod probandum citata Apoſtoli verba ex 1. ad Cor. adducebant. Græci vero ex Chryſoſtomi interpretatione per ignem ab Apoſtolo expreſſum intelligebant obſcurum quendam locum laboribus, ac mœſtitia plenum, tametſi ſub Synodi finem renovata quæſtione de ea re altercari noluerint; ita enim de Purgatorio in ſeſſ. 25. loquuntur: *Sive ignis ſit, ſive caligo, ac turbo, ſive quid aliud, non contendimus.* Imo deinceps ignem videntur admittere, dum ſubjungunt: *Quod vero de igne purgatorio dicitis, hoc etiam ſuſcipimus.* Ceterum etſi neque Florentina, neque Tridentina Synodus de Purgatorii igne decretum ullum ediderit, tenenda eſt tamen ſententia Latinorum, purgatorium ignem eſſe; licet ibi obſcuritas, & turbo, ſive inquietudo quædam etiam habeatur. Hinc in Canone Miſ-

ſæ Dominum deprecamur, ut fidelibus defun-ctis indulgeat locum lucis & pacis contra obſcuritatem & turbinem, locumque refrigerii contra ignis ardorem. De modo autem quo ignis ille in purgantes animas agat, nihil hic addimus, cum ſatis id pateat ex dictis in præcedentis libri cap. 7.

Hic præterea obſervamus, quod ex communi Theologorum aſſertione pœna ſenſus in Purgatorio gravior ſit qualibet pœna, quam hic homines patiuntur. Id docuit etiam Auguſtinus ſcribens in Pſal. 37. *Dicitur enim*, Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Et quia dicitur*, ſalvus erit, *contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita. Et noſtis quanta hic paſſi ſunt mali, & poſſunt pati &c.* Et Gregorius in Pſal. 3. pœnitentialem ait: *Illud tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorem.*

Hujuſce rei ratio ex eo relucet, quod in futuro ſeculo tempus ſit judicii, retributionis, & vindictæ pro peccatis admiſſis; in præſenti autem ſeculo miſericordiæ, & remiſſionis tempus habemus. Unde David in Pſal. 6. & 37. juxta quod Auguſtinus & Gregorius interpretantur, punitionem præſentis ſeculi *iram* vocat, futuri vero ſeculi *furorem* appellat. Nam uti bene notat S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 2. *Deus juſtus pœnam non acceptat ſecundum quod punitiva tantum; ſed ſecundum quod plus eſt in ea ratio ordinis recti: ſecundum hoc intelligendum eſt, quod eſt pœna aſſumpta, & pœna inflicta. In pœna aſſumpta non tantum placet Deo ordinatio pœnæ ad culpam; ſed & or-*

ordo, & rectitudo, quæ eſt in voluntate aſſumente: ſed in pœna inflicta placet ordinatio pœnæ ad culpam. Quoniam igitur pœna pœnitentium in præſenti plus eſt aſſumpta, pœna morientium eſt inflicta in Purgatorio, pro eo quod jam non eſt tempus agendi, ſed recipiendi; ideo modica pœna in præſenti plus ſatisfacit, & magis eſt de ea contenta divina juſtitia, quam de magna in futuro. Et ideo quaſi improportionabiliter majorem exigit, ut ei ſatisfiat. Huc igitur referendum eſt, quod ſcribit Apoſtolus in 1. ad Cor. 11. v. 31. *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Merito itaque pia Mater Eccleſia filios ſuos tanta cum ſollicitudine adhortatur, ut hac in vita ſatisfactionis opera patrent, tantoque ſtudio indulgentiarum uſum nobis inſinuat, orationeſque, ac alia ſuffragia pro defunctis facienda commendat.

Quæ hactenus de illius pœnæ gravitate retulimus, nonnulli cum S. Thoma in 4. d. 2. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 3. ita intelligunt, ut minimam Purgatorii pœnam graviorem eſſe maxima pœna hujuſce ſeculi opinentur; eademque non tantum de afflictione ignis exponunt, verum & ad damni pœnam extendunt. At alii oppoſitum ſentiunt cum S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 2. Quænam vero ſint utriuſque partis momenta, videant Candidati; nam hebes ingenium noſtrum de eiſdem judicare non valet.

Quæret hic fortaſſe aliquis, an pœnæ animabus in Purgatorio detentis a bonis, vel a ma-

lis

lis Angelis infligantur? Obſcuræ huic quæſtioni reſpondet S. Bonaventura in 4. d. 20 p. 1. a. 2. q. 2. quod „ licet videatur eſſe magis con„ veniens, ut fiat hoc miniſterio dæmonum, „ quam ſanctorum Spirituum; melius tamen „ videtur eſſe dicendum, & rationabilius etiam, „ quod ſicut divina juſtitia jubente, & flatu „ ignis ſuccendente, mali adurentur in inferno „ poſt judicium, ſic etiam & in Purgatorio. „ Non enim videtur probabile, quod dæmones „ illud miniſterium exerceant; cum ibi purge„ tur peccati ſcoria, ſecundum quam ibi quo„ dammodo anima ſimilis erit diabolo; & dia„ bolus ſuam ſimilitudinem nolit delere, ſed „ potius confirmare; nec unquam exercet ho„ minem, niſi in quo ſperat victoriam acqui„ rere; nec vexat eum, a quo victus eſt, & „ dejectus . . . Rurſus non videtur hoc pro„ babile ut miniſterio fiat Angelorum bonorum, „ ut tam graviter affligant, & puniant Conci„ ves ſuos: nec hoc de facili poſſet per Scri„ pturam probari, non ſolum in ſe, verum „ etiam in ſimili; quamvis Jacob Patriarcha „ viſus ſit ab Angelo lædi, cum emarcuit ner„ vus femoris ejus: ſed illud magis fuit ad „ concupiſcentiæ repreſſionem, quam ad gra„ vem afflictionem. Ideo concedendum, quod „ non ſit miniſterio dæmonum, nec etiam ſu„ pernorum Spirituum, niſi fortaſſis quantum „ ad directionem. Credendum enim eſt, quod „ in egreſſu animæ a corpore aſſiſtunt & Spi„ ritus bonus, & Spiritus malus, unus, vel „ plures; & tunc ſecundum veritatem ferri „ ſententiam; & ſi bona eſt, per miniſterium „ boni Angeli, vel adducitur in Cœlum, vel

„ in-

„ in Purgatorium, quouſque poſtquam purga-
„ ta fuerit, per ejus miniſterium educatur;
„ ita quod ipſe ſolum ſit deductor, & non
„ tortor. Si vero ſit mala, per miniſterium
„ dæmonum deducitur ad infernum. Hoc in-
„ quam tanquam magis probabile concedendum,
„ quamvis nihil ſit in hac parte temere aſſe-
„ rendum. “ Lege etiam S. Thomam in 4. d. 21. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 5.

Circa vero tempus, quo Purgatorii pœna perduret, aſſerendum eſt, quod alii citius, tardius alii a Purgatorio liberentur. Id ita perſpicue probat S. Bonaventura in 4. d. 21. p. 1, a. 3, q. 1. „ Dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 3.
„ *Qui ædificat lignum, fœnum, ſtipulam &c.*
„ Sed facilius, & citius conſumitur ſtipula,
„ quam lignum. Ergo cum aliquis ferat ſti-
„ pulam, aliquis ferat lignum, videtur quod
„ citius liberetur unus, quam alius.

„ Item: Auguſtinus in Enchir. c.69. *Poſt hanc*
„ *vitam incredibile non eſt, nonnullos fideles per*
„ *ignem purgatorium, quanto magis minuſque bo-*
„ *na pereuntia dilexerunt, tanto citiùs tardiuſ-*
„ *que ſalvari.*

„ Item: In foro pœnitentiæ graviori culpæ
„ reſpondet gravior pœna non ſolum quantum
„ ad intenſionem, ſed etiam quantum ad du-
„ rationem: ut patet inſpicienti Canones, qui-
„ bus pœnitentiæ taxantur. Si ergo judicium
„ Eccleſiæ rectum conforme eſt divino judicio,
„ patet &c.

„ Item: Per peccatum meruit anima non
„ ſolum in igne cremari, ſed etiam a Dei vi-
„ ſione privari: ergo utroque modo debet tem-
„ poraliter puniri: ergo qui gravius peccavit,

„ non ſolum acerbius puniri, verum etiam diu-
„ tius debet a Dei viſione ſeparari; ergo tar-
„ dius purgari.

Et hoc quidem communi conſenſione conceditur. Quod vero Dominicus Soto hac ſuper re divinando ſcribere voluit, neminem ſcilicet ultra viginti, imo nec ultra decem annos in Purgatorio detineri, communi etiam conſenſione rejicitur. Plura enim anniverſaria uſque a Tertulliani temporibus Eccleſia pro defunctis inſtituit, & adhuc in uſu habet, etiam pro iis qui a multis retro ſeculis deceſſerunt. Et Auguſtinus in lib. 9. Confeſſ. c. 13. pro matre ſua Monica ante triginta vel eo amplius annos mortua, quæ tamen ſanctiſſime vixerat, Deum exorat, tametſi confidens illam tali oratione non opus habere, non tam ob lapſi temporis diuturnitatem, quam propter vitæ ejus eximiam ſanctitatem; rogatque lectores, ut utriuſque parentis ſui ad altare meminerint. Fruſtra autem in tot annos protraherentur preces, & anniverſaria pro defunctis, ſi nemo ultra decem vel viginti annos in Purgatorio teneretur.

Dicendum eſt igitur, quod tempus purgationis ſæpe ſit multo plurium annorum, quam Theologus ille putavit. Idque probari poteſt etiam ex 1. Petri c. 3. v. 19. ubi dicitur, quod Chriſtus *his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Hunc enim textum Catholici quidam non tantum de limbo Patrum, ſed & de Purgatorio valde probabiliter interpretantur, ubi videlicet uſque ad Chriſti deſcen-

ſcenſum fuere detenti, qui minis & prophetiæ Noe initio non credentes, longanimem Dei patientiam ſibi pollicebantur; poſtea vero cum ſenſerunt inundare diluvium, crediderunt; atque ita licet diluvii aquis obruerentur, pœnitentiam tamen agentes, ſalvati ſunt, fueruntque eorum quidam ad limbum, quidam etiam ad Purgatorium relegati. Illud vero tempus uſque ad Chriſtum fere eſt bis mille annorum.

Denique cum pœnitentia hujus vitæ ſecundum Canones pro gravi aliquo ſcelere quandoque ad decem annos, ad totam vero vitam quandoque protrahitur, etiamſi pœnitens interim & ſacramentorum Chriſti ſit particeps, & multa bona opera faciat, aliorumque ſuffragiis adjuvetur; credibile non videtur, quod futuri ſeculi pœna illi pœnitentiæ correſpondens brevior ſit, ſed e contrario potius, quod ſicut acerbior eſt, ita ſit quoque prolixior; cum illud retributionis ultioniſque ſit tempus; & licet a viventibus ſuffragia repetantur, non ad Dei juſtitiam, ſed ad miſericordiam pertinet eadem acceptare.

At Sotus objectat. Qui purgantur, ſunt Dei amici: atqui Dei clementia amicos ſuos a ſuo conſpectu diu abeſſe non patitur: ergo ad eorum purgationem pœnas illas inſtituit, quibus brevi poſſent ad Patriam pervenire. Neque credibile idem Theologus arbitratur, ut quos Deus inde pœnarum intenſione cito poteſt eripere, multa temporis prolixitate detineat.

Verum ſi ratio adducta valeret, profecto conſequens eſſet, neque per decem dies quemquam in Purgatorio cruciari; certum eſt enim, quod poſſit Deus tempus iſtud pœnarum intenſione

contrahere, ut quod diuturnitati deeſt, cruciatuum compenſet acerbitas. At viſum eſt Deo, qui omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuit, ſecundum providentiæ ſuæ conſilium ſicuti Purgatorii pœnas ad certum modum intendere, vel remittere; ita etiam ad certum tempus contrahere, vel proferre.

Neque obſtat, quod qui purgantur, ſint amici Dei, quoniam eo in loco Dei judicium exercetur. *Et tempus eſt*, ait S. Petrus in epiſt. 1. c. 4. v. 17. *ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio? Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Quæ verba licet dicta videantur de judicio quod in hoc ſeculo Deus exercet, magis profecto veritatem babent in futuro ſeculo, in quo rigoroſe pro meritis Deus unicuique retribuit.

Neque mirum eſt, Dei amicos ab ejus conſpectu diutius prohiberi: nam & Sancti veteris Teſtamenti etiam poſt plenam purgationem non fuerunt ad Dei conſpectum admiſſi, priuſquam eis Chriſtus Cœlum ſuo ſanguine reſeraſſet. Enoch etiam, & Elias ſummi Dei amici modo non adhuc poſt tot ſecula Deum per eſſentiam intuentur.

Pro certo itaque habendum eſt, aliquorum animas per multos annos Purgatorii pœnis aſfligi. Hinc inter propoſitiones ab Alexandro VII. proſcriptas hæc numero 43. recenſetur: *Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.* Quot autem præciſe annis quorundam animæ in Purgatorio manſuræ ſint, ille dumtaxat novit, cujus arcana conſilia mens noſtra noſſe non poteſt.

Hic

Hic tandem advertimus, opinando putaſſe nonnullos, quod appropinquante pœnarum fine minuatur triſtitia ex damni pœna procedens. Ac de pœna ſenſus ſimiliter arbitrantur, illam eo magis minui, quo magis reatus abſumitur: quod ut ſuadeant, quibuſdam utuntur exemplis. Verum id incertum eſt, cum neque firma ratione, neque manifeſta auctoritate poſſit oſtendi.

CAPUT IV.

Quod purgantes Animæ de propria ſalute ſint certæ.

REfert Seraph. Doctor in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 4. quoſdam Veteres affirmaſſe, quod pro acerbitate pœnarum ita animæ in Purgatorio abſorbentur; ut ubi ſint, ignorent; dubitentque, utrum in inferno, an extra morentur. Arbitrati ſunt alii eaſdem animas dubitare de ſua ſalute, quia donec fuerit perfecta purgatio, Dei ſententiam non cognoſcunt. Simile quid Lutherus aſſeruit, opinans, purgantes animas, ſaltem omnes, de ſua ſalute non eſſe ſecuras, eo quod charitatem habeant imperfectam, proindeque cum timore conjunctam; ubi autem timor eſt, ibi ſecuritas eſſe non poteſt.

Propoſitio. Animæ in Purgatorio detentæ de æterna ſalute ſua ſunt certæ.

Et quod animarum illarum ſalus ex parte rei & in ſeipſa ſit certa, eſt prorſus indubium; jam enim ſunt liberæ ab omni periculo damnationis,

& lapſus; dicente Chriſto Matth. 10. v. 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Legitur etiam Apoc. 2. v. 10. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Quo ſpectat & illud Sap. 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Quibus aperte monſtratur; neminem poſt mortem de bono in malum poſſe mutari; idque docent etiam SS. Patres, ac præcipue Cyprianus in lib. de mortal. & ex Cypriano Auguſtinus in lib. de prædeſt. SS. c. 14.

Quod autem eædem animæ ex parte cognitionis certitudinem habeant, & ſecuritatem, probatur primum ex eo, quod ſtatim poſt mortem quiſque pro meritis a Deo judice ſententiam accipit vel ſalutis, vel damnationis æternæ, juxta illud Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*. Et Eccleſiaſtici 11. v. 28. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas*.

Neque putandum eſt, quod ſententia illa lateat animas uſquequo tempus purgationis impletur; cum Dei ſententia circa unumquemque poſt mortem ſit ipſa divini decreti manifeſtatio, qua cuique ſua finalis retributio innoteſcit. Nam alioquin dici poſſet, quod etiam in hoc ſeculo ſuam quiſque ſententiam acciperet, imo ab æterno jam accepiſſet, ſi ea non aliud eſſet, quam Dei decretum, quo ſecundum vias ſuas deſtinatur quiſque vitæ, vel morti; ab æterno enim extitit hoc decretum. Oportet igitur, ut decretum cuique poſt mortem illico pateſiat: unde Eccleſiaſticus citato in cap. v.

29.

29. ſubdit: *In fine hominis denudatio operum illius*.

Neque etiam dici poteſt, quod purgantes animæ ſtatum ſuæ ſalutis ignorent, quia abſorbeantur a pœnis. Nam uti laudato in loco recte ſcribit S. Bonaventura, „ etſi ſpiritus carni con„ junctus poſſit ab hujuſmodi pœnis adeo ab„ ſorberi, ut uſum rationis amittat: ſpiritus „ tamen ſeparatus, qui immortalis eſt, non „ videtur adeo abſorberi, cum fortior ſit ad „ ſuſtinendam magnam pœnam in ſe, quam in „ corpore parvam. Et quod illud verum ſit, „ patet per Gregorium in 4. dialogorum cap. „ 40. & 55. ubi dicit, quod quidam in Pur„ gatorio exiſtentes in gravibus pœnis petie„ runt adjutorium pro liberatione: ergo ſcie„ bant ſe eſſe aliquando liberandos. Patet et„ iam per illud, quod dicitur in homilia de „ Divite & Lazaro, ubi dicitur, quod damna„ ti ſupra ſe electos conſiderant uſque in diem „ judicii. Si ergo pœna illa infernalis impro„ portionabiliter gravior eſt, quam purgatoria, „ & illa non abſorbet uſum rationis in damna„ tis, qui ſunt oppreſſi verme, & deſperatio„ ne, & culpa; quanto magis nec iſta pœna „ abſorbebit Spiritus juſtorum, qui fortificati „ ſunt bona conſcientia, & ſpe, & divina gra„ tia? certe non videtur.

„ Ideo dicendum, quod animæ in Purgato„ rio majorem habent certitudinem de gloria, „ quam etiam illæ, quæ in via ſunt; ſicut ha„ bebant animæ in limbo. Et iſta certitudo „ media eſt inter certitudinem viæ, & pa„ triæ. In patria enim eſt certitudo tentio„ nis, evacuans expectationem, & timorem.

„ In via vero eſt certitudo expectationis im-
„ mixta timori; quia quilibet labi poteſt, dum
„ eſt viator. In Purgatorio eſt medio modo,
„ ſcilicet certitudo expectationis eorum, quæ
„ nondum obtinuit; ſed eſt evacuatio timoris
„ propter confirmationem liberi arbitrii, qua
„ deinceps ſcit ſe peccare non poſſe.

Dictis accedit, quod animabus Purgatorii, utpote juſtis, ſententiæ illæ aptantur: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt:* Sap. 2. v. 1. Et, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur:* Apoc. 14. v. 13. Hinc in Canone Miſſæ dicitur, fidelium defunctorum animas, pro quibus orat Eccleſia, dormire in ſomno pacis, & in Chriſto quieſcere: quod vere dici non poſſet, ſi metu damnationis æternæ, ſuique ſtatus incertitudine torquerentur.

Hic tandem obſerva, in præfata aſſertione ſua ſecum aperte pugnaſſe Lutherum, non ob id ſolum, quod poſtea Purgatorium abſolute negavit; verum idcirco etiam, quia inter hæretica ejus dogmata præcipuum illud eſt, omnes fideles per fidem certos ſuæ eſſe ſalutis, & ejuſcemodi fide juſtitiam adipiſci, non obſtante quidem eo, quod charitas in multis ſit admodum imperfecta. Unde mirandum eſt, illum certitudinem quam a viventibus exigit, adimere voluiſſe purgantibus animabus, quæ Deo, ſuæque beatitudini magis accedunt. Imo niſi illæ ſint certæ, jam fidem & charitatem juxta Lutheri ſententiam amiſerunt; cum ille fidem in ea certitudine ſtatuat, negetque quod poſſit a charitate ſejungi.

Objicies 1. Preces, quas pro defunctis fundit Eccleſia, indicare videntur, quod ſententia Judi-

dictis uſque ad diem judicii ſuſpendatur. Ita enim orare defunctus inducitur: *Dum veneris judicare terram, noli me condemnare.* Item: *Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die.* Et: *Ne recorderis peccata mea, dum veneris judicare ſeculum per ignem.* Et rurſum: *Libera me de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt &c.* Orat etiam pro animabus illis Eccleſia, ne pœnas inferni ſuſtineant, ne abſorbeat eas tartarus, ne Deus earum obliviſcatur in finem; & ut qui defuncti ſunt, in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos ſuos reſuſcitati reſpirent &c. Quibus oſtendi videtur, eos non dum damnationis æternæ periculum evaſiſſe.

Reſp. quod Eccleſia in Defunctorum officio nobis ante oculos extremi judicii diem ponit, quia intendit viventes filios ſuos ad mortis meditationem, & ad bonorum operum ſtudia provocare: uti enim ait Auguſtinus epiſt. 199. ad Heſychium, c. 1. *Tunc unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus eſt illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ hujus ultimus dies.*

Dum vero precatur, ne purgantes animæ pœnas inferni ſuſtineant &c., ad illud inſtans reſpicit, quo eædem animæ ex hac vita migrarunt; & idcirco ſic orat, non quia timeat, ne illæ in Purgatorio poſitæ tranſire poſſint ad tartarum, ſed ut Deus, qui eas in exitu ab inferni pœnis eripuit, uberiores gratiæ ſuæ effectus ſuper eaſdem effundat, vel liberando a pœnis, vel illas miſericorditer mitigando. Sicuti

cuti nempe ab eadem Eccleſia Chriſti incarnatio, paſſio, reſurrectio, & alia myſteria nobis tanquam præſentia proponuntur, dum illa anniverſaria celebratione recolimus, ut dicamus, cras, vel hodie Chriſtus carnem aſſumpſit, mortem pertulit, reſurrexit &c., non quia hodie id contingat, ſed quia memoria ejus, quod olim contigit, hodie celebratur; taleſque preces uſurpare ſolemus, ut ex. gra. dicamus: *Rorate cæli deſuper* &c., non petendo; ut Incarnatio iterum fiat, ſed ut Incarnationis fructum jugiter aſſequamur.

Objicies 2. S. Auguſtinus in Lib. 21. de C. D. c. 24. ait, quod *facta reſurrectione mortuorum, non deerunt, quibus poſt pœnas, quas patiuntur ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, ut in ignem non mittantur æternum*. Et ibidem c. ult. ſcribit, quibuſdam defunctis non ſufficere ſua merita ad beatitudinem obtinendam, niſi aliorum meritis miſericordiam conſequantur: quod ſi ita eſt, tales itaque dubii manent, donec per aliorum ſuffragia liberentur. Item in Enchir. c. 110. ſcribit, Eccleſiæ ſuffragia defunctis, *quibus proſunt, aut ad hoc prodeſſe, ut ſit plena remiſſio, aut certe tolerabilior fiat ipſa damnatio*. Unde conſequitur, quod non omnes inde liberentur, proindeque quod illæ liberationem ſuam certo non noverint.

Reſp. quod in 1. teſtimonio idcirco Auguſtinus affirmet, facta reſurrectione quibuſdam impertiendam fore miſericordiam, ut in ignem non mittantur æternum: quia ad gratiam redemptionis Chriſti pertinet, quod ab illo igne animæ liberentur. Quæ tamen gratia Juſtis adoptionis jure debetur; quia juſtitia Dei non finit,

ſinit, ut is quem ſibi in filium adoptavit, a poſſidenda hæreditate in perpetuum excludatur, ſi peccatum nullum admiſerit, quo excludi meruerit. Lege quæ diximus in lib. 13. c. 2. object. 4. Hanc denique Chriſti gratiam, ac miſericordiam ſibi deberi cognoſcent Juſti, qui tunc reatum pœnæ temporalis habuerint, quia, ut ſuperius dictum eſt, fortificati erunt & ipſi bona conſcientia, & ſpe, gratiaque divina.

Alterius teſtimonii ſenſus non eſt, quod niſi quidam aliorum meritis juvarentur, beatitudinem conſecuturi non eſſent; ſed quod eandem non conſequerentur, niſi poſtquam graviſſimas, ac diuturnas in Purgatorio pœnas exolverent.

Tertio in loco per tolerabiliorem damnationem S. Doctor intelligit mitigationem pœnarum Purgatorii, quia per fidelium ſuffragia non ſolum contractio temporis, ſed etiam pœnarum mitigatio impetratur. Ex quibus ad ſummum ſequitur, quod animæ ibi detentæ de liberationis ſuæ tempore non ſint certæ, neque media omnia ſciant, quibus eruentur a pœnis; non verò, quod ſe ad gloriam tandem perventuras ignorent.

Objicies 3. Cyprianus in epiſt. 52. ad Antonianum ait, quoſdam *pendere in die judicii ad ſententiam Domini*. Ambroſius in lib. de Cain & Abel c. 2. inquit: *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri judicii ſuſpenditur ambiguo*. Lactantius in 7. Inſtit. c. 2. ſcribit: *Nemo putet animas poſt mortem protinus judicari*. Denique Theophylactus in c. 12. Lucæ hæc habet: *Non ſemper qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate Dei, ut etiam dimitti poſſint*.

Hæc

Hoc autem dico propter oblationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis. Ex quibus evidenter apparet, quorundam judicium poſt mortem ad tempus a Deo ſuſpendi.

Reſp. quod Cyprianus humano ibi more loquatur, ut hujuſce vitæ metum oſtendat, intentamque ſignificet divinæ miſericordiæ & gratiæ expectationem propter multa mala, quæ in hac vita nonnulli merentur. Ambroſius ait, quod anima ſoluta corpore adhuc ſuſpendatur ambiguo, non quod ad judicium attinet æternæ vitæ vel mortis; ſed quod ſpectat ad modum, & quantitatem pœnæ temporalis adhuc ſolvendæ, & ad tempus aſſequendæ beatitudinis, vel certe quod pertinet ad tempus extremi judicii quod ignorat. Lactantii ſententia non tenetur, cum manifeſtum includat errorem. Neque oportet, Theophylacti verba mentemque recipi vel excuſari: dici tamen poteſt, quod loquatur de iis qui gravia delicta patrarunt, ac poſt eorum remiſſionem quantum ad culpam moriuntur cum debito ſolvendi in Purgatorio temporales pœnas, a quibus poſſunt per viventium orationes evadere.

Objicies 4: Securitas ſeu certitudo ſalutis magna pars eſt beatitudinis, ſicuti e contrario certitudo damnationis eſt pars magna gehennæ: atqui animæ illæ nullam adhuc partem beatitudinis ſunt adeptæ, ſed poſtquam purgatæ fuerint, eam ſimul totam accipient: ergo.

Reſp. quod cum animæ defunctorum ad terminum jam pervenerint, nihil vetat, imo valde congruum eſt, ut ea felicitatis parte donentur, ſciantque ſe ad terminum viæ, ſuique periculoſi certaminis perveniſſe, neque amplius

poſ-

poſſe peccare, atque ita de præmio ſecuræ reddantur. Qua in re Seraph. Doctor advertit in 4. d. 20. p. 1. a. 2. q. 1. quod *illa certitudo eſt cum afflictione, & expectationis dilatione: ideo non tam viget ibi conſolatio, quam afflictio: attamen nec in ira ſua continet miſericordias ſuas Dominus; ſed cum iratus eſt miſericordiæ ſuæ rememoratur, & vehementer afflictos aliqua ſpei certitudine reſocillat.*

Notat præterea S. Doctor ibidem, quod anima in Purgatorio, *etſi per fidem ambulet quantum ad ea, quæ divinitatis ſunt, quæ nondum per ſpeciem intuetur: nihilominus tamen aliqua ſunt nobis inviſa, quæ anima exuta novit tanquam certitudinalia, utpote divinam ſententiam de ſe latam, quæ de unoquoque homine particulariter fertur in ejus exitu: hæc autem fidem non evacuat, quia credit non apparentia, & ad hoc indiget ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumento non viſarum.*

Objicies 5. Gregorius in lib. 4. dialog. c. 36. refert, quod aliquis per extaſim viderit, ſententiam cujuſdam Stephani jam defuncti adhuc pendere. Et in lib. 4. revelationum S. Birgittæ c. 8. introducitur Angelus de quadam anima dicens, ſe non intelligere, utrum poſt purgatorium ad requiem ventura ſit, an vero ſit damnata.

Reſp. ad 1. quod, uti legenti conſtabit, de illo Stephano nondum finalis fuerat pronunciata ſententia, quia ejus anima ad corpus rediit, fuitque ad novum in hac vita certamen, ac novum periculum revocata.

Ad id quod additur, reſpondemus, ad extraordinaria Dei judicia pertinere; ſi tamen eſt ve-

verum. Nam Cl. Viri probabilius arbitrantur, quod revelatio illa neque S. Birgittæ facta fuerit, neque ab ea conſcripta, ſed illius nomine ab aliis promulgata: idemque de ejuſcemodi revelationibus aſſerunt, quod de revelatione qua dicitur Trajanus ab inferni pœnis ereptus. Lege lib. 21. c. 6. arg. 6.

Objicies 6. Purgantes Animæ non in Patria ſunt, ſed adhuc in via verſantur, ac poſſunt novum meritum, perfectioremque charitatem acquirere; imo & a charitate deficere, uti Lutherus aſſeruit: de ſua ergo ſalute certitudinem habere non poſſunt.

Reſp. quod animæ illæ mereri nequeant, poſtquam ex hac vita migrarunt. Ut enim Eccleſiaſtes ait c. 9. v. 5. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*. In quem locum Hieronymus ait: *Mortui nihil valent ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulerunt de vita, neque expectant aliquam retributionem, atque mercedem;* ultra ſcilicet eam, quam dum viverent, meruerunt. Unde quamvis illæ non adhuc ingreſſæ ſint Cœlum, peccare non poſſunt; & non ut mereantur, ſed ut purgentur, extra Patriam commorantur. Erroneam vero Lutheri ſententiam proſcripſit Eccleſia.

Poſtremo ſi quæras, num animæ illæ pœnas voluntarie patiantur; reſpondemus cum S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 3. „ quod aliqua pœna dicitur tripliciter voluntaria. Uno „ modo, quia aſſumitur a voluntate imperante, ſicut eſt pœna pœnitentialis. Alio modo, quia ſuſtinetur a voluntate acceptante, „ ſicut eſt pœna martyrii, quia adeo eis placet, quod ab ea liberari non vellent. Ter-

„ tio

„ tio modo eſt quædam pœna, quæ ſuſtinetur
„ a voluntate tolerante, ut pœna quæ eſt in
„ patientia, ita quod ejus oppoſitum eſt in
„ deſiderio; ſicut cum amans & deſiderans ſa-
„ nitatem, infirmatur, ſuſtinet quidem infir-
„ mitatem, tanquam pœnam divinitus infli-
„ ctam: attamen ab ea liberari procurat, &
„ illud minime habet rationem voluntarii. Hoc
„ modo voluntaria eſt pœna purgatoria in vi-
„ ris juſtis, qui voluntarie eam ſuſtinent, &
„ deſiderant vehementer ad Patriam pervenire,
„ & alios ſibi auxilium præbere.

CAPUT V.

Num Animæ in Purgatorio viventium ſuffragiis adjuventur?

DEfunctorum animas piis viventium operibus adjuvari poſſe primus omnium denegavit Aerius, uti refert Auguſtinus in lib. de hær. c. 53., omneſque poſtmodum qui Purgatorium impugnarunt, Waldenſes ſcilicet, Albigenſes, Lutherani, ac Calviniſtæ, inficiati ſunt etiam hanc catholicam veritatem. Opera autem quæ defunctis proſunt, communi vocabulo ſuffragia nuncupantur, quia ſunt auxilia quædam illis data, ut a pœnarum vinculis liberentur: cujuſmodi ſunt, Miſſæ ſacrificium, oratio, & opera quælibet pœnalia, ac ſatisfactoria, ut eleemoſynæ, jejunia &c.

Pro-

Propoſitio. Purgantes animæ viventium ſuffragiis adjuvantur.

Probatur ex dictis in hujuſce libri capite 1. quibus illud adjungimus, quod Sancti omnes, ubicunque ſint, inter ſeipſos in charitate communicant; ita nimirum ut pro mutua ſalute, quatenus quiſque opus habuerit, ſoliciti ſint, tanquam membra quæ unum corpus efficiunt. Ergo cum certum ſit ad illud Sanctorum corpus purgantes etiam animas pertinere, quia in charitate migrarunt; cumque miſericordia & auxilio egeant, quia in miſeria ſunt & pœnis; dicendum profecto eſt, quod juſtum ſit illas piis viventium officiis adjuvari.

Hæc autem evidentiſſima ratio non tantum in Sanctorum communione, quam in Symbolo confitemur, fundamentum habet, verum etiam in Apoſtoli verbis ex 1. ad Cor. c. 12. v. 25. & 26. ubi ait: *Pro invicem ſollicita ſunt membra: & ſi quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Quod ſi compatiuntur, idque non fruſtra, ſed impellente charitatis affectu, ut membro patienti ſuccurrant; ergo pro viribus ſatagunt, ut idem membrum a miſeria quam patitur, liberetur: quod quidem in propoſito viventium ſuffragia præſtant animabus, quæ in Purgatorio detinentur. Huc ſpectat illud Auguſtini in lib. 20. de C. D. c. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia; alioqui nec ad altare fieret eorum memoria*.

Merito itaque Tridentina Synodus propoſitionem iſtam uti de fide tenendam ſtatuit in ſeſſ. 6. can. 30. & in decreto de Purgatorio ſeſſ. 25. ait: *Cum Catholica Eccleſia Spiritu Sancto*

edo-

edocta, ex Sacris Literis, & antiqua Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili altaris ſacrificio juvari; præcipit S. Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam a Sanctis Patribus, & ſacris Conciliis traditam, a Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant.

Objicies 1. Paulus in 2. ad Cor. 5. v. 10. ſcribit: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Item ad Gal. 6. v. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.* Et v. 8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Quæ ſane teſtimonia vera non eſſent, ſi poſſent purgantes animæ viventium ſuffragiis adjuvari.

Reſp. quod mortui qui in Purgatorio ſunt, dum ſuffragiis viventium ſublevantur, propria corporis recipiant, eaque metant quæ ſeminaverunt; quia, ut taliter juvarentur, meruerunt dum viverent; nempe per bona opera præſertim miſericordiæ, propter quæ juſtum eſt apud Deum, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Unde Auguſtinus in Pſal. 32. Concione 1. hanc vocat *juſtam miſericordiam*, & in lib. de corrept. & gra. c. 13. dicit, quod ea *juſto judicio* tribuatur.

Et profecto quicunque uſque ad finem vitæ permanſerunt in Chriſto, id ſua perſeverantia meruerunt, ut propter membrorum ejuſdem corporis communionem ſibi prodeſſe queant, quæcunque pietatis opera vel communiter pro

fidelibus defunctis, vel pro ipſis ſpecialiter in Eccleſia peraguntur. Sicut enim in hac vita aliter judicantur, qui civium privilegio gaudent, aliter qui eodem privilegio carent; ita & in futuro ſeculo judicantur aliter, qui cives Sanctorum, & domeſtici Dei ſunt mortui, aliter qui a Chriſti corpore fuerunt, aut facti ſunt penitus alieni. Illi enim merito bonorum operum, in quibus perſeverarunt, & jure communionis Sanctorum fructum etiam ex aliorum operibus aſſequuntur; *quod tamen ipſorum meritum*, ut inquit Auguſtinus in Enchir. c. 110. *totum in hac vita comparatum eſt*. Iſti vero quia a Chriſti corpore disjunguntur, in illo Dei judicio judicantur indigni non tantum ut alienis operibus adjuventur, ſed etiam ut adjuventur propriis, quæ per ſubſequentem injuſtitiam extinxerunt.

Objicies 2. Sententia Dei revocari non poteſt: atqui animæ ſtatim poſt mortem accipiunt a Deo ſententiam, qua ipſis decernitur non tantum certus gloriæ gradus, ſed certa etiam pœnæ menſura; ergo hæc vivorum interceſſione mutari non poteſt.

Reſp. quod Dei ſententia ſemper immutata perſiſtat. Eſt enim æternum Dei decretum, quo purgantibus animabus tantam, vel tantam pœnam irrogare conſtituit; præſupponendo tamen futuras piorum preces, quas prævidit, & præordinavit, ut vel ex toto, vel ex parte pœnam eis alioquin debitam condonaret. Quæ quidem ſententia in mente Dei extitit ab æterno, ſed in tempore innoteſcit Angelis, & animabus, quando & quomodo Deus ipſe voluerit. Licet itaque vera ſit objectio, non tamen evin-

evincit, quod per ſuffragia defunctis applicata Dei decreta mutentur.

Objicies 3. Soli viatores poſſunt ex aliqua operatione proficere: atqui homines poſt mortem non ſunt amplius viatores; unde de illis exponitur, quod ait Job c. 19. v. 8. *Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum*. Ergo mortui per viventium ſuffragia juvari non poſſunt.

Reſp. cum S. Thoma in q. 73. ſupplem. a. 2. ad 3. „ quod quamvis animæ poſt mortem „ non ſint ſimpliciter in ſtatu viæ, tamen quan- „ tum ad aliquid adhuc ſunt in via, in quan- „ tum ſcilicet eorum progreſſus adhuc retarda- „ tur ab ultima retributione. Et ideo ſimpli- „ citer eorum via eſt circumſepta, ut non „ poſſint ulterius per aliqua opera tranſmutari „ ſecundum ſtatum felicitatis & miſeriæ: ſed „ quantum ad hoc non eſt circumſepta, quia „ quantum ad hoc quod detinentur ab ultima „ retributione, poſſint ab aliis juvari; quia ſe- „ cundum hoc adhuc ſunt in via.

Objicies 4. Pœna Purgatorii eſt pœna finita: ſi ergo per ſuffragia aliquid de pœna dimittitur, tantum poterunt multiplicari ſuffragia, ut tota tollatur; atque ita peccatum remanebit totaliter impunitum: quod ſane videtur divinæ juſtitiæ repugnare.

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 45. a. 2. q. 1. „ quod verum eſt, ſi tot eſſent ſuffragia. „ Sed ſuffragia non auferunt a pœna, nec libe- „ rant, niſi dum fiunt, & in illo tempore ho- „ mo punitur, & alii pro ipſo; ideo non re- „ manet impunitus: verumtamen ſi ſuperabun- „ darent, tunc poſſibile eſſet totum remitti;

„ nec tamen peccatum remanet impunitum, „ quia quamvis non puniatur in ſe, punitur „ tamen in alio, vel in aliis: hoc tamen vix, „ aut nunquam fit.

At inſtabis. Idcirco animæ in Purgatorio manent, ut ibi purgatæ, ad regnum puræ perveniant. Atqui nemo purgari poteſt, niſi aliquid circa ipſum agatur: ergo ſuffragia facta per vivos, cum nihil agant in mortuis, purgatorii pœnam neque ex toto auferunt, neque ex parte.

Reſp. cum S. Thoma in q. 73. ſuppl. a. 6. ad 3. „ quod purgatio animæ per pœnas pur„ gatorii non eſt aliud, quam expiatio reatus „ impedientis a perceptione gloriæ. Et quia „ per pœnam, quam unus ſuſtinet pro alio, „ poteſt reatus alterius expiari; non eſt inconve„ niens, ſi per unius ſatisfactionem alius purgetur.

Objicies 5. Si ſuffragia exiſtentibus in Purgatorio valerent, ea maxime valere viderentur, quæ ex ipſorum imperio fierent: atqui non ſemper hæc valent. Si quis enim decedens, tot ſuffragia pro ſe fieri diſponat, quæ ſi facta eſſent, pro totius pœnæ abolitione ſufficerent; contingat autem, quod hujuſcemodi ſuffragia differantur, quo uſque ille pœnam evaſerit, tunc prodeſſe ei non poterunt: nam dici nequit, quod proſint, antequam fiant; poſtquam autem facta ſunt, eis non indiget, quia jam pœnas evaſit. Ergo ſuffragia exiſtentibus in Purgatorio omnino non valent.

Reſp. cum S. Thoma ibidem ad 4. „ quod „ ſuffragia ex duobus valent, ſcilicet ex *opere* „ *operante*, & ex *opere operato*. Et dico *opus* „ *operatum* non ſolum Eccleſiæ ſacramentum, „ ſed effectum accidentem ex operatione; ſicut

„ ex

„ ex collatione eleemoſynarum conſequitur pau-
„ perum relevatio, & eorum oratio pro defun-
„ cto ad Deum. Similiter *opus operans* poteſt
„ accipi vel ex parte principalis agentis, vel
„ ex parte exequentis. Dico ergo, quod quam
„ cito moriens diſponit aliqua ſuffragia ſibi fie-
„ ri, præmium ſuffragiorum plene conſequitur,
„ ante etiam quam fiant; quantum ad effica-
„ ciam ſuffragii, quæ erat ex *opere operante*
„ principalis agentis: ſed quantum ad effica-
„ ciam ſuffragiorum, quæ eſt ex *opere operato*,
„ vel ex *opere operante* exequentis, non conſe-
„ quitur fructum, antequam ſuffragia fiant; &
„ ſi prius contingat ipſum a pœna purgari,
„ quantum ad hoc fraudabitur fructu ſuffragio-
„ rum, quod redundabit in illos, quorum cul-
„ pa fraudatur. Non enim eſt inconveniens,
„ quod aliquis defraudetur per culpam alterius
„ in temporalibus: pœna autem Purgatorii
„ temporalis eſt: quamvis quantum ad æternam
„ retributionem nullus defraudari poſſit, niſi per
„ propriam culpam.

Objicies 6. Melius eſt ſatisfacere per ſeipſum, quam per alium: qui enim per ſeipſum ſatisfacit, majorem gloriam promeretur: Ergo qui aſſerunt purgantes animas noſtris orationibus adjuvari, earum gloriam multum imminuunt.

Reſp. quod in hac vita, ubi quis ſatisfaciendo meretur, melius utique fit, ſatisfacere per ſeipſum: at cum in Purgatorio meritum omne ceſſet, melius eſt inde per alium cito liberari, quam in pœna diutius detineri.

At dices. Animæ illæ ſuis orationibus non juvantur: ergo nec etiam alienis.

Reſp. quod etſi propriæ animarum earum

orationes juvare ipſas nequeant merendo, ac ſatisfaciendo; juvare tamen poterunt impetrando; uti nonnulli probabilius arbitrantur. Nam in defunctorum officio animæ illæ introducuntur pro ſui liberatione precantes; eſtque valde pietati conſentaneum, ut omnis anima fidelis in tribulatione ſua clamans ad Dominum, ipſum non ſine utilitate precetur. Ceterum juvantur animæ illæ propriis operibus, quæ in hac vita fecerunt, & quibus meruerunt etiam, ut poſt mortem poſſent eis aliena opera, orationeſque prodeſſe.

Objicies 7. Certi eſſe non poſſumus, an animæ pro quibus oramus, in Purgatorio ſint, an vero in Cœlo, vel in inferno verſentur; proindeque ſæpe contingit, ut incaſſum pro defunctis oremus: ſatius ergo erit nullatenus pro iiſdem orare.

Reſp. quod quamvis incerti ſimus, an illi pro quibus oramus, poſſint fructum ex oratione noſtra percipere; non tamen incaſſum oramus, aut bona opera facimus; cum ſemper Deo illa placeant, & ad cumulum meriti ac pietatis accedant. Et licet interdum fruſtra fiant quoad fructum ſperatum in eo, pro quo fiunt; præſtat tamen ſupereſſe ſuffragia iis, qui non egent, & quibus neque proſunt, neque obſunt, quam illis deeſſe, qui indigent. Unde Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis cap. ult. ſcribit: *Sed quia non diſcernimus, qui ſint quibus proſunt, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant pervenire. Melius enim ſupererunt iſta eis, quibus nec obſunt, nec proſunt, quam eis deerunt, quibus proſunt.*

De-

Denique nonnulla hoc in capite notanda ſubjungimus, & primo, quod, uti bene ſcribit Doctor Angel. in q. 73. ſuppl. a. 9. „ ſuffra-„ gia vivorum proſunt defunctis, ſecundum „ quod uniuntur viventibus charitate; & ſecun-„ dum quod intentio viventium fertur in mor-„ tuis: & ideo illa opera præcipue nata ſunt „ mortuis ſuffragari, quæ maxime ad commu-„ nicationem charitatis pertinent, vel ad dire-„ ctionem intentionis in alterum. Ad charita-„ tem autem ſacramentum Euchariſtiæ præci-„ pue pertinet, cum ſit ſacramentum Eccleſia-„ ſticæ unionis, continens illum, in quo tota „ Eccleſia unitur & conſolidatur, ſcilicet Chri-„ ſtum: unde Euchariſtia eſt quaſi quædam cha-„ ritatis origo vel vinculum. Sed inter chari-„ tatis effectus eſt præcipuum eleemoſynarum „ opus. Et ideo iſta duo ex parte charitatis „ præcipue mortuis ſuffragantur; ſcilicet ſacri-„ ficium Eccleſiæ, & eleemoſynæ. Sed ex par-„ te intentionis directæ in mortuos, præcipue „ valet oratio; quia oratio ſecundum ſuam ra-„ tionem, non ſolum dicit reſpectum ad oran-„ tem (ſicut & cetera opera), ſed directius ad „ illud pro quo oratur. Et ideo iſta tria po-„ nuntur quaſi præcipua mortuorum ſubſidia: „ quamvis quæcunque alia bona ex charitate „ fiunt pro defunctis, eis valere credenda ſint.

II. notamus cum Seraph. Doctore in 4. d. 45. a. 2. q. 3. „ quod aliquorum opinio fuit, „ ut Præpoſitivi, quod ſuffragia Eccleſiæ ſive „ ſpecialiter, ſive generaliter facta magis pro-„ ſint ei, qui magis meruit. Et ponunt exem-„ plum: ſicut ſi candela accenditur coram di-„ vite, non tantum præbet ſibi lumen, ſed et-

„ iam aliis, & eis qui melius vident, majus
„ lumen præbet. Exemplum etiam patet in le-
„ ctione, quæ tantum valet, ſi legatur omni-
„ bus in communi, quantum ſi cuilibet alii in
„ ſpeciali; & plus valet aſſiſtenti, qui melius
„ intelligit, etiamſi pro alio legatur, qui mi-
„ nus intelligit, etſi pro ipſo legatur ſpeciali-
„ ter. Si ergo ita eſt in lumine, certo magis
„ in Sacramento. Si ita eſt in lectione, quo-
„ modo non in oratione? abſque dubio ita vi-
„ detur.

„ Et ſi objiciatur communis mos Eccleſiæ:
„ Reſpondent, quod hoc, quod ſpecialiter Ec-
„ cleſia magis facit pro aliquo, non facit pro-
„ pter hoc, quod magis illi proſint; ſed quia
„ libentius facit homo pro eo, quem diligit ſpe-
„ cialius, & magis animatur ad faciendum.
„ Unde ſi iſtud eſſet notum ſimplicibus, non
„ ita libenter facerent ſuffragia.

„ Sed iſtud non credo, quia ſicut dicit Au-
„ guſtinus *de cura pro mortuis agenda c.* 4. ſe-
„ pultura valet in loco ſancto propter oratio-
„ nes Sanctorum, qui orant pro eo, ad cujus
„ tumulum memorantur. Amplius: Suffragia
„ ſunt ad ſolvendum pœnam, ſive reatum: Sed
„ plus eſt ſatisfacere pro debito multorum, quam
„ unius; & facilius ſatisfit pro debito unius,
„ quam plurium: Ergo pluribus indigent ſuf-
„ fragiis duo, quam unus ſolus: ergo ſi divi-
„ duntur inter eos uterque habet minus: ergo
„ non videtur, quod æqualiter ſe extendat ad
„ omnes.

„ Et ideo dicendum, quod illud non eſt ſi-
„ mile, quia illuminatio totam ſpeciem rei vi-
„ ſæ defert ad oculum, & ſimiliter lectio totam

„ ſi-

„ ſimilitudinem vocis: ſed non ſic eſt in ſolu- „ tione, ſicut eſt in aſpectu, & conſideratione. „ Quamvis enim duo creditores æqualiter poſ- „ ſunt, & ſimul videre unum aureum, non ta- „ men poteſt æqualiter ſolvi duobus. Sic intel- „ ligendum eſt in propoſito, quod per ſuffragia „ fiat. Unde non refert, utrum fiant pro pluri- „ bus, an pro uno.

„ Et ideo diſtinguendum eſt hic: quia ſuffra- „ gia Eccleſiæ aut fiunt in communi, aut in „ ſpeciali. Si in communi, proſunt ei magis, „ qui magis meruit, ut ſibi prodeſſent, aliis „ conditionibus paribus; quia non tantum di- „ gnitas, ſed etiam neceſſitas conſideratur. Si „ autem fiant in ſpeciali, ei magis proſunt, pro „ quo fiunt.

At contra dices 1. Ex hac ſententia ſequitur, quod pauperes etſi majoris ſint meriti, pejoris tamen ſint conditionis, quam divites; plura enim pro iſtis, quam pro illis ſuffragia fiunt. At pauperes Chriſtus laudat Lucæ 6. v. 20. *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.*

Deinde: Oblatio pretii in Cruce æqualiter profuit, ac ſi pro quolibet facta eſſet; tantumque cuilibet prodeſt, quantum ille meretur: ergo & oblatio ſacrificii in Altari, per quam oblatio illa recolitur, ei qui magis meruit, magis prodeſt.

Reſp. ad 1. cum S. Thoma in q. 73. ſuppl. a. 12. ad 3. „ quod nihil prohibet, divites quan- „ tum ad aliquid eſſe melioris conditionis, quam „ pauperes; ſicut quantum ad expiationem pœ- „ næ. Sed hoc quaſi nihil eſt, comparatum „ poſſeſſioni regni Cœlorum, in qua pauperes „ melioris conditionis oſtenduntur per auctori- „ tatem inductam.

Ad

Ad alterum reſpondet S. Bonaventura in laudato loco, „ quod quamvis idem ſit ſacrificium
„ Crucis, & Altaris, non tamen utrobique u-
„ niformiter cooperatur. Nam in Cruce effu-
„ ſum eſt pretium in omnimoda plenitudine,
„ ſed in Altari habet effectum determina-
„ tum, cum quotidie aſſumatur. Et propter
„ hoc prima oblatio non iteratur, ſed ſecunda
„ iteratur: ideo non valet illa ratio, quia pro-
„ cedit, ac ſi eſſet æqualis effectus. Et iterum,
„ illa omnibus eſt oblata, hæc autem ſpeciali-
„ ter poteſt fieri. Nec obſtat illud Hieronymi
„ de Conſecrat. diſt. v. Non mediocriter. Cum
„ pro centum defunctorum animabus Pſalmus vel
„ Miſſa dicitur, nihil minus, quam ſi pro uno
„ quolibet diceretur, accipitur: Dicendum enim,
„ quod Hieronymus, ſicut patet ex adjunctis,
„ loquitur quantum ad meritum facientis, non
„ quantum ad utilitatem ejus pro quo fit.

III. obſervamus cum Angel. Doctore in laudata q. 73. ſuppl. a. 3. „ quod in ſuffragiis
„ quæ per malos fiunt, duo poſſunt conſiderari. Primo ipſum *opus operatum*, ſicut ſacri-
„ ficium Altaris: & quia noſtra ſacramenta ex
„ ſeipſis efficaciam habent abſque opere operan-
„ tis, quam æqualiter explent per quoſcunque
„ fiant, quantum ad hoc ſuffragia per malos
„ facta, defunctis proſunt. Alio modo quantum
„ ad *opus operantis*: & ſic diſtinguendum eſt:
„ quia operatio peccatoris ſuffragia facientis,
„ poteſt uno modo conſiderari prout eſt ejus;
„ & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt, nec ſibi
„ nec aliis: alio modo inquantum eſt alterius; quod
„ dupliciter contingit: uno modo, in quantum
„ peccator ſuffragia faciens gerit perſonam to-

tius

„ tius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos dum dicit in
„ Eccleſia exequias mortuorum. Et quia ille
„ intelligitur facere, cujus nomine vel vice fit,
„ ut patet per Dionyſium in lib. de Cœleſti
„ Hierarchia c. 13. inde eſt, quod ſuffragia ta-
„ lis Sacerdotis, quamvis ſit peccator, defun-
„ ctis proſunt. Alio modo, quando agit ut in-
„ ſtrumentum alterius; opus enim inſtrumenti eſt
„ magis principalis agentis: unde quamvis ille
„ qui agit ut inſtrumentum alterius, non ſit in
„ ſtatu merendi, actio tamen ejus poteſt eſſe
„ meritoria ratione principalis agentis; ſicut ſi
„ ſervus in peccato exiſtens, quodcunque opus
„ miſericordiæ facit ex præcepto domini ſui
„ charitatem habentis. Unde ſi quis in chari-
„ tate decedens, præcipiat ſibi ſuffragia fieri,
„ vel alius præcipiat charitatem habens, illa
„ ſuffragia valent defuncto; quamvis illi per
„ quos fiunt, in peccato exiſtant: magis tamen
„ valerent, ſi eſſent in charitate; quia tunc ex
„ duabus partibus opera illa meritoria eſſent."
Hiſce ſimilia leges apud S. Bonaventuram in
4. d. 45. a. 2. q. 2.

CA-

CAPUT VI.

Quod purgantes Animæ indulgentiis adjuventur.

DE indulgentiis ex profeſſo alibi differemus: hic itaque ſat erit advertere, quod uſitato indulgentiæ nomine denotetur, Remiſſio temporalis pœnæ quæ luenda ſupereſt poſt condonatam culpam, & pœnam æternam, extra ſacramentum ab eo data, qui poteſt ſpiritualem Eccleſiæ theſaurum diſpenſare.

Duobus autem modis dici poteſt indulgentias conferri, & applicari defunctis: per modum nempe ſuffragii, ſive Eccleſiaſtici cujuſdam ſubſidii; & per modum judicii, & abſolutionis. Lutherani, & Calviniſtæ neutro modo eas defunctis dari poſſe contendunt.

Propoſitio 1. Indulgentiæ proſunt animabus Purgatorii, ſi in forma conceſſionis expreſſa mentio fiat, quod illis etiam concedantur.

Et ſane animæ illæ nobiſcum ſunt ejuſdem corporis membra per fidem, charitatemque conjuncta; ſunt etiam in ſtatu indigentiæ, & nondum ad terminum pervenerunt: ergo quemadmodum ob rationem iſtam poſſumus ſuffragia, privataſque ſatisfactiones noſtras applicare defunctis; ita poterit etiam Summus Pontifex eis applicare Chriſti & Sanctorum ſatisfactiones, cum ipſe ſit ſpiritualis theſauri Diſpenſator, & theſaurus pro totius myſtici corporis indigentiis

tiis & utilitate ſervetur. Unde Seraph. Doctor in 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 5. ait: *Quia bona, & theſaurus Eccleſiæ eſt in ſummi Pontificis poteſtate, & illi qui ſunt in purgatorio, ratione charitatis idonei ſunt ſpiritualia beneficia recipere, Papa poteſt eis bona Eccleſiæ communicare.*

Notat etiam hac in re Doctor Angel. in q. 73. ſupplem. a. 10. „ quod indulgentia dupliciter alicui valere poteſt. Uno modo principaliter, alio modo ſecundario. Principaliter „ quidem prodeſt ei, qui indulgentiam accipit, „ ſcilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia „ datur; ut qui viſitat limina alicujus Sancti: „ unde cum mortui non poſſint aliquid facere „ eorum, pro quibus indulgentiæ dantur, eis „ indulgentiæ directe valere non poſſunt. Secundario autem, & indirecte proſunt ei, pro „ quo aliquis facit illud, quod eſt indulgentiæ „ cauſa: quod quandoque contingere poteſt, „ quandoque autem non poteſt, ſecundum diverſam indulgentiæ formam. Si enim ſit talis indulgentiæ forma: *Quicunque facit hoc* „ *vel illud, habebit tantum de indulgentia*; ille „ qui hoc facit, non poteſt fructum indulgentiæ in alium transferre; quia ejus non eſt „ applicare ad aliquid intentionem Eccleſiæ, „ per quam communicantur communia ſuffragia, ex quibus indulgentiæ valent. Si autem „ indulgentia ſub hac forma fiat: *Quicunque* „ *fecerit hoc vel illud, ipſe & pater ejus vel* „ *quicunque alius ei adjunctus in Purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit*; talis „ indulgentia non ſolum vivo, ſed etiam mortuo proderit. Non enim eſt aliqua ratio, „ quare Eccleſia poſſit transferre merita communia

„ ma, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos,
„ & non in mortuos.

Hac denique poteſtate perpetuo uſa fuit Eccleſia. Unde Leo X. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ decrevit, quod indulgentiæ per Romanum Pontificem conceſſæ ſive vivis, ſive defunctis, valeant eis ad remiſſionem pœnæ: quod & alii docuere Pontifices.

Propoſitio 2. Indulgentiæ non per modum judicii, ſed per modum ſuffragii poſſunt conferri defunctis.

Probatur 1. pars. Defuncti non ſubſunt juriſdictioni Pontificis: non enim poteſt eos citare, ad obediendum cogere, eorum cauſas judicare. Neque ſunt ex ovibus, quas Joan. 21. paſcendas Pontifex in Petro ſuſcepit; unde nequit eis pabulum ullum vitæ, vel doctrinæ præbere. Ergo ſicut Pontifex non poteſt eos ad certam pœnam obſtringendo ligare, ita neque a pœna poteſt abſolvere. Hinc recte Seraph. Doctor in loco ſuperius laudato ſcribit, quod verba illa Matth. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis;* per quæ Chriſtus Petro contulit amplitudinem poteſtatis, determinantur per id quod continent, *Super terram:* proindeque *non habet* Pontifex *poteſtatem ſuper illos qui ſunt mortui, cum jam non ſuperſint.* Neque enim defuncti ſunt ſuperſtites, neque *ſuper terram*, ſed *ſub terra* eſſe dicuntur.

Probatur 2. pars. Duplex tantum eſt modus indulgentias conferendi, nempe per modum abſolutionis, ſive judicii; & per modum ſolutionis, ſive ſuffragii: Si ergo, uti ex dictis apparet, priori modo Pontifices defunctis indulgen-

gentias non concedunt ; profecto conſequitur , quod eas poſteriori modo concedant. Quare Romani Pontifices dum indulgentias extendunt ad mortuos, plerumque clauſulam illam adjungunt, *per modum ſuffragii*. Ita Alexander VI. Clemens VII. Julius III. & Gregorius XIII. de Jubilæi indictione loquuntur. Denique Leo X. in epiſtola ad Cajetanum expreſſe diſtinguit duos modos indulgentias conferendi, cum dicit, Romanum Pontificem tam pro vivis, quam pro defunctis Apoſtolica auctoritate indulgentiam concedendo poſſe theſaurum meritorum Jeſu Chriſti & Sanctorum diſpenſare , & per modum abſolutionis indulgentiam ipſam conferre, vel per modum ſuffragii illam transferre ſolere. Quæ disjunctiva locutio manifeſte ſignificat, Pontificem ita per modum ſuffragii transferre indulgentiam in defunctos , ut iſtis illam per modum abſolutionis conferre non poſſit.

Hoc in loco cum Eſtio, Tournely, Gotti , aliiſque Theologis obſervandum eſt, quod cum dicitur , indulgentias per modum ſuffragii concedi defunctis, ſuffragii nomine auxilium , ſive ſubſidium Eccleſiaſticum intelligatur ; eo nempe modo, quo fideles poſſunt aliis ſive vivis, ſive defunctis per pia opera ſubvenire. Id vero triplici modo fieri poteſt ; vel ſcilicet merendo per opera, vel impetrando per orationes, vel per paſſiones ſatisfaciendo. Indulgentiæ igitur hoc tertio modo defunctis per modum ſuffragii conferuntur, nempe per modum ſatisfactionis , & ſolutionis ; ſolvendo videlicet pœnas eis debitas, ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus in Eccleſiæ theſauro reconditis , quæ Deo in compenſationem per Pontificem offeruntur.

Si-

Sicut ergo dum aliquis pro defuncto jejunat, vel eleemoſynam elargitur, non eum abſolvit a reatu pœnæ; ſed jejunium, vel eleemoſynam Deo offert in ſatisfactionem pro illo: ita & Pontifex non abſolvit animas defunctorum a pœna; ſed offert Deo ex theſauro Eccleſiæ communes ſatisfactiones, ut eis acceptatis eædem animæ liberentur. Ex quo diſcrimen apparet inter modum, quo Pontifex indulgentiam ad defunctos extendit, & modum, quo quilibet fidelis poteſt eis ſatisfactoria opera applicare. Hic enim propria tantum opera poteſt ad defunctos ex charitate dirigere: at Pontifex utitur clavium poteſtate, & auctoritate, non judiciaria, ſed diſpenſatoria, quam in communem theſaurum habet; eo nempe modo, quo Princeps pro liberatione captivorum, qui membra ſunt Communitatis, de ejuſdem theſauro pecuniam erogaret.

Sed dices: Poteſt Pontifex, & Eccleſia excommunicare defunctos; ergo poteſt etiam per indulgentiam illos abſolvere. Et ſane axioma juris eſt, delinquentem ſortiri forum ratione delicti: cum ergo defuncti peccaverint, dum hic eſſent, poterunt hic abſolvi.

Reſp. quod Pontifex, & Eccleſia, proprie loquendo, neque excommunicat, neque ab excommunicatione defunctos abſolvit; ſed declarat tantum, quæ in eos ferri ſententia potuiſſet, dum viverent; & in hoc ſenſu fidelibus prohibet, aut permittit, ut pro illis orent, aut ſacrificia poſſint offerre, aut eos ſepultura donare. Idque ſat erit, ut illud juris axioma probetur, ſi ad eos etiam extendatur, qui ex hoc mundo migrarunt; *cum illi jam exierint* *fo-*

forum Eccleſiæ, & *Eccleſiaſticum judicium*; ut ait S. Bonaventura.

Inſtabis. Omnes viatores, ſi fidem habeant, Pontificis juriſdictioni ſubduntur: atqui purgantes animæ per fidem adhuc ambulant, neque ad gloriæ terminum pervenerunt.

Reſp. quod ut alibi diximus, etſi animæ illæ non conſecutæ adhuc uſque fuerint terminum retributionis æternæ; non tamen ſunt ſimpliciter in ſtatu viæ; cum nequeant mereri amplius, vel demereri, adeoque non poſſint ſtatum felicitatis, & miſeriæ permutare. Tales autem ſunt viatores, quos Pontifex ſua juriſdictione gubernat.

Quæret hic aliquis, an ex juſtitia, vel potius ex divina tantum miſericordia defunctis Indulgentiæ proſint?

Reponemus, vero magis ſimile videri, quod illæ non ex juſtitia proſint, ſed ex Dei benignitate, & liberali ac miſericordi ejuſdem acceptatione; nulla enim promiſſione ſe Deus obſtrinxit, qua Chriſti & Sanctorum merita in defunctorum ſatisfactionem oblata debeat acceptare. Quare, ut a pœnis illi ſolvantur, oportet, ut miſericors Dei & gratioſa voluntas accedat, quæ oblata pro ipſis ſatisfactoria ſuffragia acceptare dignetur: quamvis ea acceptatio ſi ponatur, dici recte poſſit, quod interveniat & juſtitia; cum per ſatisfactiones de theſauro Eccleſiæ oblatas, juſta pœnarum compenſatio fiat.

Ut autem indulgentiæ defunctis proſint, ex parte conferentis, primo requiritur auctoritas, quam in Romano Pontifice, ut in Eccleſiæ Capite, unice reſidere communis ſententia do-

cet. Requiritur 2. legitima cauſa: ut enim ait S. Thomas in q. 73. ſupplem. a. 10. *Prælatus Eccleſiæ non poteſt pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare; quia ad hoc, quod indulgentia valeat, requiritur cauſa conveniens indulgentias concedendi*. Neque pro cauſa ſufficit animarum illarum utilitas, vel gloria quæ ex earundem animarum liberatione redundaret in Deum: nam ſi iſta ſufficeret, (uti bene adnotat Bellarminus) Chriſtus ipſe, pius ac miſericors, jam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur particularis aliqua cauſa pertinens ad Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut & de indulgentiis quæ viventibus conferuntur, ſuo loco dicemus; ita nimirum ut ſummus Pontifex arbitretur gratiorem Deo eſſe rem illam, cujus cauſa indulgentiæ conceduntur, quam executionem juſtitiæ, quæ in expiandis animabus Purgatorii exercetur. Lege S. Bonaventuram in laudata ſuperius quæſtione ad ult. argum. & in ejuſdem articuli quæſtione 4.

Ex parte vero viventium qui ſua pro defunctis ſuffragia offerunt, requiritur ſtatus ſanctificantis gratiæ, necnon pia promptaque illorum operum executio, quæ in indulgentiarum Literis imperantur. Si enim viventibus ſanctificans gratia neceſſaria eſt, ut fructum indulgentiarum ipſi percipiant, (non enim temporalis pœna remittitur, niſi remittatur & culpa) quidni eadem gratia neceſſaria erit, ut illi fructum conferant, applicentque defunctis? Id præterea conſtat ex Reſcripto Innocentii XII. qui teſtatur Innocentium X. Alexandrum VII. & Innocentium XI. certas indulgentias conceſſiſſe fidelibus utriuſque ſexus *vere pœnitentibus, & confeſ-*

ſis,

ſis, quas applicare poſſent per modum ſuffragii animabus fidelium, qui ex hac vita pie ſanċteque migrarunt.

His autem poſitis quæ ex parte viventium requiruntur, probabiliter dicendum eſſe videtur, indulgentias ſemper prodeſſe defunċtis. Non enim ex parte horum ullum eſt impedimentum, cum ſint in gratia confirmati; neque apparet ratio ex parte Dei, cur oblata pro illis ſuffragia non acceptet. Unde S. Auguſtinus in Enchir. c. 110. & in lib. de cura pro mortuis c. 1. & 4. loquens de pio affeċtu precantium pro defunċtis, ait: *Qui cum defunċtis a fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui cum in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt*. Quæ verba collata cum præcedentibus, ac ſubſequentibus ſignificare videntur, non tantum publicas Eccleſiæ, ſed privatas etiam ſingulorum preces, in charitate defunċtis pro quibus fiunt, certo prodeſſe.

Verumtamen cum ſit totius Eccleſiæ, ejuſdemque Auguſtini doċtrina, animas in futuro ſeculo adjuvari, prout in hac vita meruerunt; quæ quidem merita certum eſt inæqualia eſſe; ſicut & inæquale fuit ſtudium ſatisfaciendi pro ſuis peccatis in hac vita; hinc non improbabiliter plures exiſtimant, quod non omnes per eaſdem indulgentias æqualiter adjuventur, ſed proportione quadam ſuorum meritorum plus, aut minus; ut in illis quoque locum habeat, quod Bonifacius VIII. *in Extravaganti* de vivis affirmat; nempe quod efficacius indulgentiam conſequatur, qui ut indulgentia ſibi prodeſſe poſſet, magis promeritus fuit, & ad eam

ſatisfaciendo propius acceſſit.

Ex quibus omnibus ſatis aperte colligitur, non ita certo ſtatuendam eſſe alicujus animæ, pro qua data ſit indulgentia, e purgatorio liberationem, ut jam non amplius pro ea orandum ſit, vel tollenda ſint anniverſaria, vel omittenda ſint cetera, quæ fieri ſolent, ut defuncti juventur; quia videlicet certo nobis conſtare non poteſt, ea omnia ſubſiſtere, quæ ad conſequendum plenum indulgentiæ effectum neceſſario requiruntur.

Denique ſicuti in præcedente cap. de privatorum ſuffragiis diximus, ita nunc de indulgentiis affirmamus; illas nempe omnibus prodeſſe defunctis quoad accidentale quoddam gaudium; cum charitas omnia communia faciat hoc in ſenſu, quod omnes qui charitate ſunt præditi, de aliorum bonis, ac ſi eſſent propria, collætantur. Quoad ſatisfactionem vero, & liberationem a pœnis, communia Eccleſiæ ſuffragia proſunt omnibus in communi: at ſuffragia particularia, & indulgentiæ, quæ pro certis animabus ſuſcipiuntur, non niſi eis proſunt, quibus ex intentione viventium applicantur.

CA-

CAPUT VII.

Num ſepultura, cultuſque exequiarum defunctis proſint?

NOſtri temporis Hæretici quamvis cadaverum ſepulturam oppugnare non audeant; ritum tamen, modumque, quo a Catholicis illa peragitur, plurimum reprehendunt: quod nempe velint in loco ſacro ſepelienda eſſe fidelium cadavera, quod cereos in funere adhibeant, quod anniverſaria repetant &c. At quid hoc in capite pro certo tenendum ſit, ex ſequentibus apparebit.

Propoſitio 1. Bonum ac pium opus eſt mortuorum corpora ſepelire.

Probatur. Scriptura non raro uti bonum piumque opus commendat mortuorum corporum ſepulturam. Ita præſertim in 2. Regum 2. v. 5. cum viri Jabes Galaad ſepeliſſent Saul, miſſis ad eos nunciis dixit David: *Benedicti vos a Domino, quia feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum*. Et Tobiæ. 12. v. 12. referens Angelus bona opera, quibus Tobias Deo placuerat, ait: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino*. Et Matth. 26. v. 10. Chriſtus de muliere, quæ ſuper caput ejus unguentum effuderat, inquit:

Opus bonum operata eſt in me . . . Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Quod etiam plura probant exempla Patriarcharum, aliorumque Juſtorum, qui & de ſua ſepultura fuere ſolliciti, ſuoſque mortuos diligenter ac religioſe ſepelire curarunt; ut patet ex Gen. 23. 49. 50. ex 1. Machab. 13. ex Act. 7. & 9. & alibi paſſim.

Et quidem non ſine cauſa tam frequenter in Sacris Literis ſepulturæ officium commendatur. Nam primo, mortuos ſepelire ad humanitatem pertinet, & inter corporalis miſericordiæ opera recenſetur. Si enim barbarum prorſus, & inhumanum eſt mortuorum corpora inſepulta projicere; humanitatis ergo officium erit eadem terra tegere, ſepulcriſque recondere: quod ſatis etiam omnium gentium conſuetudo confirmat, non aliunde quam ab ipſa naturæ lege dimanans. Unde de Tobia c. 2. v. 9. dicitur, plus Deum timuiſſe, quam regem, quando maluit certo periculo vitam exponere, quam interfectorum corpora inſepulta relinquere. Quod exemplum olim Chriſtiani ſequentes Martyrum corpora rapiebant, eaque honorifice ſepelire curabant, non obſtante evidenti vitæ periculo ob Tyrannorum ſeveriſſimum interdictum. Ex quo ſane deducitur, non ſolius eſſe conſilii, ſed & præcepti, mortuos ſepelire, iis quibus incumbit, niſi de ſceleſtis quibuſdam in pœnam aliquando aliud ſtatuatur.

Alia item cauſa eſt, cur commendata in Scripturis ſepultura legatur; quia nempe per illam teſtantur homines mortuorum reſurrectionem eſſe futuram. Idcirco enim tanta cura, &

& veneratione ſepulcris condimus fidelium corpora, quia Spiritus Sancti templa fuerunt, eaque ad eandem, imo ad ampliorem dignitatem credimus reſurrectura.

Hinc appoſite egregieque S. Auguſtinus in lib. 1. de C. D. c. 13. ſcribit: „ Non ideo contemnenda, & abjicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque Juſtorum, atque Fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt Spiritus. „ Si enim paterna veſtis, & annulus, ac ſi „ quid hujuſmodi, tanto charius eſt poſteris, „ quanto erga parentes major affectus; nullo „ modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, „ quam quælibet indumenta geſtamus. Hæc „ enim non ad ornatum, vel adjutorium, quod „ adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam „ hominis pertinent. Unde & antiquorum Juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, „ & exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa: „ ipſique dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt; & Tobias ſepeliendo mortuos „ Deum promeruiſſe, teſte Angelo, commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertio „ reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus „ prædicat, prædicandumque commendat, quod „ unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in „ Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum „ diligenter, atque honorifice tegendum, ſepeliendumque curarunt. Verum iſtæ auctoritates non hoc admonent, quod inſit ullus ca-

„ daveribus ſenſus; ſed ad Dei providentiam,
„ cui placent etiam talia pietatis officia, cor-
„ pora quoque mortuorum pertinere ſignificant,
„ propter fidem reſurrectionis adſtruendam.

Propoſitio 2. Pompa funeris, ſepulcrorum ornatus, & delectus ſepulturæ locus, quamvis defuncto directe conferre nil poſſint; quibuſdam tamen ex cauſis poſſunt eidem valde prodeſſe.

Probatur 1. pars ex S. Auguſtino, qui in lib. 1. de C. D. c. 12. hac de re loquens, ita ſcribit: „ Omnia iſta, ideſt, curatio funeris,
„ conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, ma-
„ gis ſunt vivorum ſolatia, quam ſubſidia mor-
„ tuorum. Si aliquid prodeſt impio ſepultura
„ pretioſa, oberit pio vilis, aut nulla. Præ-
„ claras exequias in conſpectu hominum exhi-
„ buit purpurato illi diviti turba famulorum:
„ ſed multo clariores in conſpectu Domini
„ ulceroſo illi pauperi præbuit miniſterium An-
„ gelorum, qui eum non extulerunt in mar-
„ moreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium
„ ſuſtulerunt. " Lege Lucæ c. 16. v. 19. & ſequentibus.

Probatur 2. pars ex S. Thoma, qui in q. 73. ſupplem. a. 11. ait, quod viventes dum ſepulcra vident, „ memoriam retinent defun-
„ ctorum, & pro defunctis orant: Unde &
„ *monumentum* a memoria nomen accepit; di-
„ citur enim *monumentum*, quia *monet mentem*,
„ ut dicit Auguſtinus in libro de cura pro
„ mortuis agenda c. 4.

„ Sed quod ulterius ſepultura in loco ſacra-
„ to mortuo prodeſt; non quidem eſt ex ipſo
„ *opere operato*, ſed magis ex ipſo *opere operan-*

„ *te*;

„ *te*; dum ſcilicet, vel ipſe defunctus, vel a-
„ lius, corpus ejus tumulari in loco ſacro diſ-
„ ponens, patrocinio alicujus Sancti eum com-
„ mittit, cujus precibus per hoc credendus eſt
„ adjuvari; & etiam patrocinio eorum, qui
„ loco ſancto deſerviunt, qui pro tumulatis a-
„ pud ſe frequentius, & ſpecialius orant.

„ Sed illa, quæ ad ornatum ſepulturæ adhi-
„ bentur, proſunt quidem vivis, in quantum
„ ſunt vivorum ſolatia; ſed poſſunt etiam de-
„ functis prodeſſe, non quidem per ſe, ſed
„ per accidens; in quantum ſcilicet per hujuſ-
„ modi homines excitantur ad compatiendum,
„ & per conſequens ad orandum; vel in quan-
„ tum, ex ſumptibus ſepulturæ vel pauperes
„ fructum capiunt, vel Eccleſia decoratur: ſic
„ enim ſepultura inter ceteras eleemoſynas com-
„ putatur.

Ex dictis apparet, cur veteres Patriarchæ ſepeliri in promiſſionis terra voluerint; quia nempe ibi Chriſtum naſciturum ac moriturum eſſe credebant, cujus reſurrectio noſtræ reſurrectionis eſt cauſa: patet præterea quam bene Fideles ex antiqua conſuetudine ſibi ſuiſque in locis ſacris eligant ſepulturam; ut nempe viventium precibus, Sanctorumque meritis & interceſſionibus ipſorum animæ adjuventur. In quem finem ipſa etiam Cœmeteria, ſive Dormitoria mortuorum ſolemnioribus Eccleſiæ precibus conſecrantur: quas preces pro impetranda animarum requie, quarum ibi ſepelienda ſunt corpora, Deo oblatas nullo modo inanes eſſe credendum eſt.

Meminit denique hujuſce conſuetudinis S. Ambroſius in lib. 1. de Abraham c. 9. ubi di-

cit,

cit, Abraham pro loco ſepulcri pretium ſolviſſe, *quia nondum erant hujuſmodi Dei templa, in quibus fidelium Domino reliquiæ condecentur*. Et S. Gregorius in lib. 4. dialogorum c. 50. ſcribit: *Quos gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum, quorum ſepulcra conſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Eccleſiis ponuntur.*

Objicies 1. Deus univerſum mundum ſua præſentia comprehendit: ubicunque igitur fidelium corpora ſepeliantur, eis obeſſe vel prodeſſe nil poterit. Unde Chriſtus Lucæ 12. v. 4. diſcipulis ſuis ajebat: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant.*

Reſp. ex argumento duntaxat evinci, quod ſepultura in loco ſacro defunctis *per ſe*, *& ex opere operato* non proſit; ſicuti eodem modo non obeſt privatio ſepulturæ. Ut enim inquit Auguſtinus in lib. 1. de C. D. c. 12. *Multa corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quiſquam a cœlo, & terra ſeparavit, quam totam implet præſentia ſui, qui novit unde reſuſcitet quod creavit.* At quod ſepultura illa *per accidens*, *& ex opere operante* proſit, ex dictis plus quam ſatis apparet. Ea autem Chriſti verba, uti laudato mox in loco aſſerit Auguſtinus, oſtendunt, *aliquid eos*, tyrannos nempe, *facere cum occidunt, quia in corpore ſenſus eſt occidendo: poſtea vero nihil habere* quod

quod faciant , quia nullus ſenſus eſt in corpore occiſo .

Objicies 2. Paulus in 2. ad Cor. 5. v. 10. ſcribit : *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti , ut referat unuſquiſque propria corporis , prout geſſit , ſive bonum , ſive malum :* Per quod nos monet Apoſtolus ante mortem fieri , quod poſſit prodeſſe poſt mortem ; non tunc quando jam recipiendum eſt , quod quiſque geſſerit ante mortem .

Reſp. cum S. Auguſtino in lib. de cura pro mortuis c. 1. quod „ quodam vitæ genere ac„ quiritur , dum in hoc corpore vivitur , ut a„ liquid adjuvent iſta defunctos ; ac per hoc „ ſecundum ea , quæ per corpus geſſerunt , eis „ quæ poſt corpus religioſe pro illis facta fue„ rint , adjuventur . Sunt enim quos nihil omni„ no adjuvant iſta , ſive pro eis fiant , quorum „ tam mala ſunt merita , ut neque talibus di„ gni ſint adjuvari ; ſive pro eis , quorum tam „ bona , ut talibus non indigeant adjumentis . „ Genere igitur vitæ , quod geſſit quiſque per „ corpus , efficitur , ut proſint , vel non proſint , „ quæcunque pro illo pie fiunt , cum reliquerit corpus . Nam meritum , per quod iſta pro„ ſint , ſi nullum comparatum eſt in hac vita , „ fruſtra quæritur poſt hanc vitam . Ita fit , „ ut neque inaniter Eccleſia vel ſuorum cura pro „ defunctis , quod potuerit religionis impen„ dat ; & tamen ferat unuſquiſque ſecundum „ ea , quæ per corpus geſſit , ſive bonum , ſive „ malum , reddente Domino unicuique ſecun„ dum opera ejus .

Objicies 3. Tot anniverſaria , & exequiæ toties repetitæ , die nempe 3. 7. & 30. reprehenſione

ſione dignæ videntur; eaſdem enim preces ſæpius iterare, manifeſtum eſt diffidentiæ ſignum. Unde S. Ambroſius in lib. 1. de Abraham c. 9. ſuper illud Gen. 23. *Surrexit Abraham ab officio funeris*, ait: *Docemur, ut non diutius inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis eſt officii deferamus*. Quem locum expendens Calvinus *Præf. in Inſtit.* dicit, ab Ambroſio reprehendi eos, qui nullum finem faciunt orandi pro mortuis.

Reſp. quod anniverſaria preceſque non ex diffidentia repetamus, ſed ex religioſo deſiderio, pioque fervore, ut requiem quam fidelium animabus optamus, efficacius impetremus. Nam & Paulus in 2. ad Cor. 12. v. 8. ſcribit: *Ter Dominum rogavi*. Et Chriſtus ipſe Matth. 26. v. 24. *Oravit tertio eundem ſermonem dicens*; docuitque nos Lucæ 18. v. 1. *Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere*.

Neque oppoſitum ſentit Ambroſius: nam etſi merito ille immoderatiorem circa defunctorum corpora curam objecto in loco redarguat: nullibi tamen frequentes pro eorum animabus oblationes, preceſque rejecit, ſed potius apertiſſime commendavit. Hinc in fine orationis de obitu Valentiniani ſic ait: *Si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos ſilentio præteribit, Nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio, Nulla vos non donatos aliqua precum mearum contextione tranſcurret: Omnibus vos oblationibus frequentabo*. Et in epiſt. 39. ad Fauſtinum de ſororis obitu dolentem inquit: *Non tam deplorandam, quam proſequendam orationibus reor. Nec mæſtificandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror*.

Obji-

Objicies 4. In Eliberitano Concilio can. 34. ita ſtatutum eſt : *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi. Inquietandi enim ſanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione.* Ergo non licet in defunctorum exequiis cereos adhibere.

Reſp. ab Eliberitano Concilio cereorum uſum eo dumtaxat fine reprehendi, quo Ethnici adhibebant, putantes, ſenſum aliquem mortuis ſupereſſe corporibus, animaſque ſepulcra ſuorum corporum circumire: non vero cereos improbat ad finem alium uſurpatos, ut nempe ſpiritibus locum lucis a Deo precemur, utque monſtremus, quod animæ vivant, ſuoque tempore etiam ſurrectura ſint corpora. Et profecto quod ad fidelium funera cerei ſemper adhibiti fuerint, patet ex Nazianzeno, qui in Orat. 4. quæ eſt 2. contra Julianum, funus Conſtantii Imperatoris recenſens ait: *Nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Chriſtiani pium e vita diſceſſum ornandum exiſtimamus.* Et Euſebius in Vita Conſtantini c. 66. ſcribit, quod milites ſublatum e lecto corpus Imperatoris hujuſce jam mortui in arca aurea depoſuerunt, & *dehinc aurea ſuper candelabra luminibus undique accenſis admirabile ſpectaculum intuentibus præbebatur.* Conſtat hoc idem ex Nyſſeno in epiſt. ad Olympiam, ex Chryſoſtomo hom. 4. in epiſt. ad Hebr. ex Theodoreto in lib. 5. Hiſt. c. 36. ex Hieronymo in vita Paulæ &c.

Dicit autem Eliberitana Synodus, inquietandos non eſſe ſpiritus defunctorum; quia nempe faces juxta ſuperſtitioſum Gentilium morem adhibitæ defunctis placere, ac prodeſſe non poterant:

rant: quo etiam in ſenſu laudatus ſupra S. Ambroſius in epiſt. citata ſcribebat, quod defunctæ ſororis anima lacrymis mœſtificanda non eſſet, & anima Samuelis ſuperſtitionibus evocata dixit 1. Regum c.28. *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer.*

Denique quamvis circa defunctos aliqua eis ſimilia faciamus, quæ Ethnici faciebant, cum eis tamen reprehendendi non ſumus. Nam ſuperſtitioſam illi ponebant curam in ſepeliendis ſuorum cadaveribus, arbitrantes, mortuis etiam corporibus aliquem ſenſum ineſſe, & neceſſariam eſſe ſepulturam, ut animæ quietem haberent; juxta quod Virgilius in 6. Æneidum ait:

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.

Ab hoc aliiſque erroribus nos longe diſtamus: ſed quæ illi ſuperſtitioſe gerebant, Chriſtiano ritu ſacravimus. Nam illi lugebant mortuos, eorum cadavera lavabant, & aromatibus inungebant, quem morem Hebræi ab Ægyptiis acceperunt, & uſque ad Chriſti tempora ſervarunt; & tamen iſte ejuſcemodi conſuetudinem non reprehendit, ſed potius commendavit.

Objicies ultimo. Sepultura opus meritorium, gratumque Deo eſſe non poteſt, cum nuſquam inveniatur a Deo mandatum. Imo Chriſtus Matth. 25. dum miſericordiæ opera numeravit, ſepulturæ omnino non meminit.

Reſp: quod jam ex dictis appareat, officium ſepulturæ eſſe opus bonum a Chriſto commendatum Lucæ 26. in muliere ipſum *ad ſepeliendum* ungente. Ejus autem Matth. 25. idcirco non meminit, neque dixit, *Mortuus fui, & non ſepeliſtis me;* quia, uti Chryſoſtomus ait hom. 84. in Joan., homines ſponte ſatis ad ſe-

pellendum mortuos ex quadam innata pietate propendent, adeo nempe ut ſuperfluitas potius ſit in aliquibus arguenda.

C A P U T VIII.

Num Beati pro Animabus Purgatorii orent, & num iſtæ orent pro viventibus, eiſdemque interdum appareant?

JAm ſupra in xx. libro de Sanctorum pro nobis interceſſione, precibuſque tractavimus: hic tamen, ubi de defunctorum ſuffragiis agitur, quærendum reſtat, an iidem Sancti pro animabus etiam orent, quæ in Purgatorio detinentur. Ac tandem ut huic libro finem imponamus, breviter inquiremus, num animæ illæ orent pro viventibus, & num eiſdem Deo diſponente nonnunquam appareant?

Propoſitio 1. Sancti cum Chriſto regnantes orant pro animabus in Purgatorio detentis: Eſt communis aſſertio contra Dominicum Sotum in 4. d. 45. q. 3. a. 2.

Probatur. Et ratio quidem manifeſtiſſima eſt, quam Theologi ex communione Sanctorum, & ex unitate corporis Eccleſiæ invicte deſumunt. Cum enim Eccleſia tota ſit unum corpus, cujus caput eſt Chriſtus, oportet, ut non ſolum caput cum membris, ſed ut ipſa inter ſe membra communicent; ita nempe ut ſe-

ſecundum Apoſtolum in 1. ad Cor. 12. v. 25. & 26. *idipſum pro invicem ſollicita ſint membra: & ſi quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra*. Sicut ergo ex hoc teſtimonio recte conſequitur, Sanctos pro nobis eſſe ſollicitos, ut ab hujuſce mundi periculis eruamur, & nos quoque ſollicitos eſſe debere pro animabus Purgatorii, ut inde quam citius liberentur; ita conſequitur etiam, Sanctos pro eiſdem animabus eſſe ſollicitos, eiſque ex charitate compati, & ex pio juvandi affectu Deum pro ipſis orare.

Quæ quidem res etiam hujuſcemodi argumento firmatur. Chriſtus qui caput eſt totius corporis Eccleſiæ, & cui omnia membra debent eſſe conformia, non ſolum vivens viventibus profuit, ſed etiam mortuus mortuis, ac præterea vivens mortuis, mortuuſque viventibus: Æquum eſt igitur, ut hæc omnia in ejus membris reperiantur, utque mortui licet jam Beati ſuis precibus adjuvent mortuos, qui nondum ad eorum conſortium pervenerunt.

Valent item ad hoc probandum ea Chriſti verba Lucæ 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*: quibus exprimitur, eos qui recipiunt, eſſe in æternis tabernaculis, ideſt in Cœlo; recipiunt autem per orationes, & preces: exprimitur inſuper, eos qui recipiuntur, jam defeciſſe, nempe per mortem a ſtatu præſentis vitæ migraſſe. Ita textum iſtum exponunt Hieronymus contra Vigilantium, Ambroſius in c. 16. Lucæ, Auguſtinus lib. 21. de C.D. c. 27. & Gregorius lib. 21. Mor. c. 19.

Et ſane ſi Sancti in Cœlo regnantes non poſ-

poſſunt prodeſſe defunctis; ergo per hoc quod pauperes, quibus datæ ſunt eleemoſynæ, moriuntur & migrant in Cœlum, multum perit dantibus dum in Purgatorio detinentur. Pauperes enim viventes juvare eos poterant, mortui autem & in Cœlum jam recepti non poſſunt. Adverſus quam abſurditatem uti licebit argumento Hieronymi contra Vigilantium de Moyſe, Stephano, Paulo, aliiſque Sanctis, qui ſi viventes Deum hominibus iratum placare quiverunt, multo magis id queunt mundo jam mortui, Deoque conjuncti. Hieronymi verba exſcripſimus in lib. 20. c. 3. prop. 2. Hoc autem argumentum non tantum in pauperibus, qui beneficia acceperunt, locum habet, ſed complectitur etiam omnes Sanctos, qui cum in hac vita precibus ſuis juvare potuerint animas, quæ in Purgatorio manent, nimis abſurdum eſt dicere, quod nunc cum Chriſto regnantes id nequeant.

Hanc quoque ſententiam aperte confirmant quæ in præcedente capite diximus, ad hoc nempe prodeſſe mortuis ſepulturam in loco ſacro, ut Sancti alicujus patrocinio, ac precibus eorum animæ commendentur. Lege etiam S. Auguſtinum in lib. de cura pro mortuis c. 4.

Merito igitur contrarium ſentit Eccleſia, quæ in publicis orationibus pro defunctis opem illis a Beatis implorat: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli*. Et in Collecta quadam Deum rogat, ut eos, *qui ex hoc ſeculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, & omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedat*. Et in Collecta pro vivis, & defunctis hæc habet: *Quoſque vel præ-*

ſens ſeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur.

At dices 1. Si Beati pro animabus orant quæ in Purgatorio detinentur; non pro quibuſdam tantum, ſed pro omnibus orant; omnes enim ſunt illis in charitate conjunctæ: cum ergo triumphans Eccleſia efficacius exaudiatur citiuſque, quam militans, profecto continget, ut precibus ejus Purgatorium brevi tempore vacuetur.

Reſp. quod etſi Sanctorum orationes pro omnibus fiant qui in Purgatorio manent, ipſum tamen Purgatorium evacuare non poſſunt; quia tantum illæ valent, quantum valere Deus ſua voluntate conſtituit; cui quidem voluntati libenter Sancti conſentiunt, nec contra eam quidquam efflagitant. Vult autem Deus, preces illas valere ſalva ſua juſtitia, qua Purgatorii locum uſque ad diem extremi judicii duraturum fore conſtituit. Nec ſane timendum eſt, evacuari Purgatorium, in quod adhuc quotidie tam multi deſcendunt.

Dices 2. Sancti cum Chriſto regnantes non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſicuti ſunt viventes: atqui ſuffragia exiſtentibus in Purgatorio non niſi per modum ſatisfactionis proſunt: ergo pro eis Sancti non orant.

Reſp. quod Sancti in Cœlo beati, eſto non ſint in ſtatu merendi, ſunt tamen in ſtatu precandi; & licet illorum preces habere non poſſint rationem ſatisfactionis pro pœna; per eas tamen petitur, ut paſſiones Chriſti, & Sanctorum ad pœnæ remiſſionem defunctis applicentur, & proſint. Quo ſane modo iidem Sancti in-

intercedunt, & orant pro nobis mortalem adhuc vitam agentibus.

Propoſitio 2. Juxta communiorem nunc, probabilioremque ſententiam dicendum eſt, purgantes animas pro viventibus orare.

Probatur. Ex dictis, qui invicem charitate junguntur, invicem juvare ſe poſſunt: atqui viventes, animæque purgantes invicem charitate junguntur: ergo ſicuti viventes pro mortuis, ita & mortui pro viventibus orant, ne iſti in tot periculis conſtituti vitam amittant æternam.

Dices 1. Purgantes animæ maxima pœna plectuntur; impediuntur igitur, ne pro viventibus orent. Deinde animæ illæ, quæ hic aguntur, per ſui præſentiam, naturalemque virtutem ignorant; cumque non adhuc intuitivam Dei habeant viſionem, nequeunt viventium indigentias, preceſque in Verbo cognoſcere: ergo pro nobis orare non poſſunt. Hinc Eccleſia illas non invocat, neque ipſarum preces expoſcit.

Reſp. quod ſi dives Epulo atrociori pœna punitus, & de æterna vita deſperans rogare potuit Abraham, ne in tormentorum locum fratres ſui deſcenderent; cur purgantes animæ pro viventibus, ſuiſque præſertim benefactoribus & propinquis, Deum orare non poterunt, ut ad æternam gloriam quam ipſæ anxie expectant, illi quoque perveniant? Pœnæ enim quantumvis atroces ab animabus illis corpore jam exutis non auferunt intentionem in quodcunque voluerint; eo vel maxime quod voluntati juſtitiæque divinæ ſumme conformes, in magna animi quiete, & in ſomno pacis eſſe dicuntur.

Quamvis autem animæ Purgatorii neque re-

 bus

bus noſtris interſint, neque indigentias, preceſque noſtras intueantur in Verbo, non inde tamen ſequitur, quod pro nobis illæ non orent. Poſſunt enim Deum generali modo precari, ut eo rectore ac duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna: ſicuti nempe probabile eſt, Sanctos V. T. in limbo manentes pro viventibus adhuc fidelibus generaliter Deum paſſim oraſſe, quin diſtincte & in ſpecie indigentias, preceſque illorum agnoſcerent. Præterea non repugnat, quod vel aliæ animæ illúc ex hoc mundo migrantes, vel cuſtodes Angeli, vel Deus ipſe extraordinaria via iliis nonnulla revelent. Lege S. Thomam in p. 1. q. 89. a. 8. ad 1. & S. Auguſtinum in lib. de cura pro mortuis c. 15. Tandem quia eædem animæ naturali ac ordinario modo preces ipſis porrectas noſſe non poſſunt; idcirco Eccleſia neque illas invocare, neque earum preces poſcere conſuevit: etſi quidam exiſtiment, quod Eccleſia ſaltem promiſcue illas oret, quando Sanctos omnes, omnemque Juſtorum chorum indiſtincte precatur.

Dices 2. Thomas in 2. 2. q. 83. a. 11. quærit, utrum Sancti, qui ſunt in patria, orent pro nobis; & tertio loco ſibi argumentum iſtud opponit: *Sicut Sancti qui ſunt in patria, ſunt ſuperiores nobis, ita & illi qui ſunt in purgatorio, quia jam peccare non poſſunt: Sed illi qui ſunt in purgatorio non orant pro nobis, ſed magis nos pro eis: ergo nec Sancti qui ſunt in patria, pro nobis orant.* Deinde reſpondet, *quod illi qui ſunt in Purgatorio, etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, ſunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur.*

Et

Et ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis. Juxta igitur Angel. Doctoris mentem animæ quæ purgantur, pro viventibus non orant.

Reſp. quod quamvis oppoſitum hac in re S. Thomas ſenſiſſe videatur, ex quo permoti Theologi quidam veteres negativam tenuere ſententiam; Sylvius tamen, Gotti, aliique reponunt, quod Doctor Angelicus objecto in loco non dicat, vel viventes non juvari precibus eorum, qui in Purgatorio detinentur, vel iſtos pro viventibus non orare: ſed ſolum affirmat, quod quantum ad pœnas, quas purgantes animæ patiuntur, inferiores ſunt nobis, & ſecundum hoc in ſtatu orandi non manent. At non idem denotat, non eſſe in ſtatu orandi, & non orare; ſicuti neque idem importat, orare, & eſſe in ſtatu orandi. Nam ſi quis non hoſtili, ſed amico, aut etiam paterno affectu captivus detineatur, hoc ipſo quod detinetur captivus, in ſtatu orandi non eſt; & tamen tum pro ſe, tum pro aliis poteſt orare, etiam cum fiducia impetrandi, ſi benevolum affectum ejus, a quo captivus detinetur, agnoverit. Purgantes autem animæ paternum Dei affectum tum erga ſeipſas, tum erga nos ignorare non poſſunt: ergo nihil vetat, quin Deum & pro ſeipſis, & etiam pro viventibus orent.

Et ſane viatores aliqui magis ſunt pœnarum rei, quam animæ quæ purgantur, & tamen pro aliis recte orant; ergo reatus pœnæ, qui in Purgatorii animabus exiſtit, non reddit eas vel indignas, vel inhabiles ad orandum. Neque etiam actualis pœna id valet efficere, cum illa in conceptu ſuo nil habeat, quod charitati,

&

& orationi repugnet.

Adnotant prætereà aliqui cum Bellarmino, quod uti Gregorius in lib. 4. dialog. c. 40. & Petrus Damiani, aliique recenſent, animæ purgatorii interdum miracula patraverunt: id autem etſi evenire potuerit, quin animæ illæ pro viventibus tunc orarent, Deo ea miracula faciente ſolum ex intuitu præcedentium meritorum; inde tamen non improbabile ſumitur argumentum, quod Deus, qui ita animas illas honorat, etiam dum purgantur, earundem orationes facilius libentiusque recipere & exaudire dignetur.

Poſtremo quod pertinet ad purgantium animarum apparitiones, aſſerimus, quod illæ juxta ordinariam ac communem Dei legem e purgatorii loco exire, & viventibus apparere non poſſunt, ſicuti neque id poſſunt aliæ animæ defunctorum. Id enim non obſcure colligitur ex Auguſtino in lib. de cura pro mortuis c. præſertim 13. ubi ait:,, Si rebus viventium inter-
,, eſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quan-
,, do eas videmus, alloquerentur in ſomnis, ut
,, de aliis taceam, meipſum pia mater nulla
,, nocte deſereret, quæ terra marique ſecuta eſt,
,, ut mecum viveret. Abſit enim, ut facta ſit
,, vita feliciore crudelis uſque adeo, ut quando
,, aliquid angit cor meum, nec triſtem filium
,, conſoletur, quem dilexit unice, quem nun-
,, quam voluit mœſtum videre. Sed profecto
,, quod facer Pſalmus 26. v. 10. perſonat, ve-
,, rum eſt: *Quoniam pater meus, & mater mea*
,, *dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit*
,, *me*. Si ergo dereliquerunt nos parentes no-
,, ſtri, quomodo noſtris curis, & rebus inter-
,, ſunt?

„ ſunt? Si autem parentes non interſunt, qui „ ſunt alii mortuorum, qui noverunt quid a- „ gamus, quidve patiamur? &c.

Quidam hujuſce rei rationem ex eo repetunt, quod anima a corpore ſeparata non poſſit pro arbitrio ſe movere localiter; neque etiam Angeli, vel dæmones valeant id præſtare, ſed ſolus Deus. At probabile non videtur, quod anima dum in corpore exiſtit; eoque gravatur, poſſit ſe, & corpus de loco in locum movere; dum vero extra illud magis libera & expedita manet, ſeipſam ſolam localiter movere non valeat; præſertim cum juxta plurium Philoſophorum opinionem ipſa notio vitæ in rationalibus creaturis non tantum intelligendi, ſed & localiter ſe movendi principium præ ſe ferat. Per quod apparet, vel ipſos dæmones poſſe de loco ad locum transferre purgantes animas, ſi illorum naturalis dumtaxat virtus inſpiciatur; quamvis juxta divinam diſpoſitionem reipſa non poſſint, neque ullam ſuper Sanctorum animas habeant poteſtatem.

Eſt igitur repetenda ratio ex lege divinæ juſtitiæ ſtatuentis, ut illæ animæ ita ſint in Purgatorii loco detentæ, ut inde egredi nequeant, ſitque continuus ille carcer veluti pars quædam pœnæ, quæ eiſdem animabus infligitur: quamvis & hanc pœnam patienter animæ illæ ſuſtineant, uti in fine cap. 4. cum S. Bonaventura notavimus.

In ejuſcemodi vero lege Deum aliquando diſpenſare, atque ita purgantes animas viventibus apparere, paſſim Theologi probabiliter arbitrantur. Unde Doctor Angel. in q. *69.* ſuppl. a. 3. ſcribit: „ Secundum naturalem curſum, „ ani-

„ animæ ſeparatæ propriis receptaculis deputa-
„ tæ a converſatione viventium penitus ſegre-
„ gantur. Non enim ſecundum curſum naturæ
„ homines in mortali carne viventes ſubſtan-
„ tiis ſeparatis immediate conjunguntur; cum
„ omnis eorum cognitio a ſenſu oria ur: nec
„ propter aliud a ſuis receptaculis eas exire
„ conveniret, niſi ut rebus viventium intereſ-
„ ſent. Sed ſecundum diſpoſitionem divinæ
„ potentiæ aliquando animæ ſeparatæ a ſuis
„ receptaculis egreſſæ, conſpectibus hominum
„ præſentantur: ſicut Auguſtinus in lib. de
„ cura pro mortuis agenda c. 16. narrat de
„ Felice martyre, qui civibus Nolanis viſibi-
„ liter apparuit, cum a Barbaris oppugnarentur.
„ Et hoc etiam credi poteſt, quod aliquando
„ damnatis contingat, quod ad eruditionem
„ hominum & terrorem permittuntur viventi-
„ bus apparere; aut etiam ad ſuffragia expe-
„ tenda, quantum ad illos qui in Purgatorio
„ detinentur; ut per multa quæ in 4. Dialo-
„ gorum narrantur cap. 40. & ss. patet." Si-
milia tradit in p. 1. q. 89. a. 8. ad 2. Qua de
re legendus eſt etiam S. Bonaventura in 4. d.
45. a. 1. q. 3.

F I N I S.

MAG 2006 0140